This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

583.5
Gelpke

5835

יהוה

135.57

VINDICIAE

ORIGINIS PAULINAE

AD HEBRAEOS EPISTOLAE,

NOVA RATIONE TENTATAE

a

M. FRID. CHRIST. GELPKE,

Pastore apud Wermsdorfienses et Hubertoburgenses, qui sunt Confessioni Augustanae addicti.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS.

MDCCCXXXII.

PRAEFATIO.

In calce libelli, quem viginti fere abhinc annis edidi sub titulo: de familiaritate, quae Paulo apostolo cum Seneca philosopho intercessisse traditur, verisimillima, dixeram: « caeterum an ex hac Pauli et Senecae familiaritate, quam probabilibus argumentis defendere studuimus, aliquid effici possit pro Epistola ad Hebraeos, in qua multa dicta Senecae usurpata extant, Paulo vindicanda, hoc aliis judicandum relinquimus." Libellum hunc, quamvis pauca tantummodo exemplaria typis exprimerentur et majorem in partem inter patronos et amicos distribuerentur, viris doctis innotuisse, ejusque passim in libris ad historiam ecclesiasticam primi saeculi pertinentibus mentionem factam esse cognovi (1). Neque tamen ullus eorum, qui annis abhinc proximis vel in Epistolam ad Hebraeos commentati sunt, vel libros hodegeticos in N. T. scripserunt, et argumenta pro et contra Paulinam originem ad Hebraeos epistolae aequa lance perponderarunt, ad magnam eamque non fortuitam convenientiam, quae inter epistolam ad Hebraeos et nonnulla scripta Senecae, inprimis libellum ejus vel potius epistolam de Providentia extat, et con-

(1) Gieseler, *Lehrbuch der Kirchengeschichte*, T. I. p. 76. Winer, *Biblisches Realwörterbuch*, p. 570. sub voce Paulus.

suetudinem quandam Senecae cum Paulo ex historicis argumentis valde probabilem, animum advertit, et inde pro Paulina istius epistolae origine efficiendi aliquid periculum fecit. Sine dubio ea, quae in isto libello meo protuli, viris doctis non tam firma visa sunt, ut iis auctoritas epistolae ad Hebraeos Paulina quodammodo fulciri posset. Nec non ego lubenter largior, in ea re ultra verisimilitudinem non posse procedi, sed « si in arduo veri explorati est, (Senecae verbis utor de benef. IV. 35) ea ire debemus, qu ducit verisimilitudo." In arduo esse explorationem auctoris epistolae ad Hebraeos, omnes, qui eam instituerunt, confessi sunt, et subscripserunt verbis Origenis: *τίς δὲ ὁ γράψας τὴν ἐπιστολήν, τὸ μὲν ἀληθὲς θεὸς οἶδεν.* Neque tamen ea re impediti sunt, quo minus hypothesibus quibusdam de auctore epistolae indulgerent, iisque verisimilitudinis speciem quandam conciliare maximopere enitterentur. Quod cum aliis, nec sine laude concessum sit, id etiam mihi datum iri confido, dummodo hypothesis mea verisimilitudine quadam, eaque fortasse majori, quam aliae hypotheses de auctore hujus epistolae, viris doctis se commendatura sit. Etenim sub judice adhuc lis est de auctore epistolae, et recentissimus (2) ejus commentator et idoneus hujus rei arbiter Bleek, *der Brieff an die Hebräer*, T. I. p. 272, quamquam Paulinam originem negat, haec profitetur: « Ungeachtet so vieler fleiszigen Untersuchungen über den Verfasser des Briefes an der Hebräer, ist die Frage über denselben

(2) Cum hunc librum exarare inciperem, Commentarius Kuinoelii in Epistolam ad Hebraeos nondum prodierat.

noch nicht zur Entscheidung gelangt, deren Ergebniss allgemein oder nur überwiegend von denjenigen, denen eine Stimme darüber zukommt, anerkannt wäre. Um so mehr liegt uns ob, die Untersuchung immer von neuem aufzunehmen, und zu versuchen, sie ihrem Ziele immer näher zu bringen, mit dankbarer Benützung und Anerkennung dessen, was von andern geleistet ist." Quod si ita est, mecum tentamen, Paulinam originem epistolae ad Hebraeos nova ratione, et quidem e conjunctione et familiaritate quadam auctoris cum Stoicis, et nominatim cum Seneca, asserendi, non iniqua mente legent et dijudicabunt. Atque profecto non pauca et levia sunt, quae, si argumentum et sententias et dictiones nonnullas epistolae ad Hebraeos cum quibusdam scriptis Senecae compares, et in chronologicas horum scriptorum rationes, nec non in res, quas vocant, circumstantes accuratius inquiras, nexum quendam auctoris cum Stoicis et nominatim cum Seneca arguant, et hinc Paulinam originem epistolae ad Hebraeos probabilem reddant. Ita mihi saltem visum est per plures annos in horis succisivis in eam rem inquirenti, epistolam ad Hebraeos ejusque commentatores praecipuos nec non scripta Senecae iterum iterumque legenti; nec non confido, alios etiam, qui, quae in hoc libro prolaturus sum, accuratius examinare voluerint, meae sententiae aliquatenus adstipulaturos esse. Quod si facere dubitaverint, non tamen oleum et operam in hoc libro legendo perdidisse querentur. *Primo* quidem videbunt, multa, quae huic epistolae sunt peculiaria, ex alio fonte ac Philoniano et Alexandrino et majori cum verisimilitudine posse derivari, nec adeo firmis

rationibus niti sententiam eorum, qui, quoniam Alexandrini quid in scribendi genere deprehendere sibi visi sunt, ideo ad Alexandrinum doctorem epistolam ad Hebraeos referant (3). *Deinde* clarius intelligent, cur auctor loca quaedam V. T., quae nonnullis male et incongrue citata esse videntur, e. g. Ebr. I. 10, II. 6 etc., allegaverit. *Porro* perspicient, multum momenti habere meam hypothesin in judicio de quibusdam variis lectionibus ferendo, et in sensu nonnullorum locorum aliter et, nisi vana anguror, melius quam vulgo fit, constituendo. *Nec non* utilitatis aliquid in chronologicas epistolae nostrae rationes accuratius definiendas ex opella mea redundare censebunt. *Denique* via, quam ad Paulinam originem epistolae probandam inii, nequaquam per aspera dumeta et inhospitales Syrtes ducit, sed per amoena viridaria Stoicae philosophiae, a philosopho inter ethnicos Christianissimo excultae et ad usus populares accommodatae. Ita potest fieri ut, si vel ea, quam inii, via propositum finem non assecutus esse videar, lectores non poeniteat iter mecum fecisse, et inprimis muneris sacri, quo ego fungor, socii Senecae scripta ea esse agnoscant, e quibus legendis prae aliis antiquitatis scriptoribus philosophicis maxima utilitas in ipsos redundare videatur.

Caeterum monere velim lectorem, ne credat, me

(3) Boehme in praefatione Commentarii Epist. ad Hebr. X. ita judicat: » Alexandrinum aliquid in genere scribendi deprehendere sibi visi sunt interpretes; cui sententiae ut nolimus valde repugnare, saltem eam non tantum valere censemus, quantum a nonnullis putari animadvertimus, ut de patria vel auctoris vel adeo lectorum certo inde possis judicare."

iis adstipulari velle, qui putant, Stoicos Christianorum subdolos imitatores fuisse, et quae in scriptis Senecae Religionis Christianae decretis conveniant, ea omnia deberi Paulo ejusque cum Seneca consuetudini. Si conjunctio quaedam inter hos duumviros extitit, Paulus etiam a Seneca nonnulla mutuari et in suos usus convertere potuit, et quaecunque in usus suos convertit, ea Paulus utpote apostolus auctoritate sua tamquam divina sanxit, undecunque ea fluxerint.

CONSPECTUS TOTIUS LIBELLI.

PRODROMUS continens historiam literariam Epistolae ad Hebraeos brevem et succinctam, in qua commemorantur:

A. Praecipui eorum, qui Epistolam ad Hebraeos Paulo *abjudicarunt*, et argumenta primaria; quibus ducti hoc fecerunt.

Argumentum *primum*: Paulus nomen suum huic epistolae non praemisit, ut in aliis indubitato a se scriptis epistolis fecit.

Argumentum *secundum*: Auctor non ab ipso Christo, sed ab audientibus eum evangelii doctrinam accepisse fatetur.

Argumentum *tertium*: Styli diversitas.

Argumentum *quartum*: Theologumena nonnulla in Epistola ad Hebraeos occurrunt, quae in caeteris Epistolis Paulinis desiderantur, vel his adeo contraria sunt.

Argumentum *quintum*: Non verisimile est, Paulum ad Hebraeos vel Christianos Palaestinenses ex Judaeis scribere voluisse vel ausum esse, quos sciret sibi esse infensos.

B. Praecipui eorum, qui Paulinam epistolae ad Hebraeos originem *defenderunt*, quaeque ad ista quinque argumenta contra Paulinam originem epistolae labefactanda protulerunt. *Addduntur* etiam ea, quae pro Paulina origine epistolae facere iis videntur.

Nequaquam tamen sufficienter causam suam defendisse putantur.

Recentissimi N. T. interpretes et commentatores inter nostrates Paulo epistolam abjudicant.

Sed adhuc sub judice lis est.

Audienda est et altera pars, praesertim si promittit, non cinerem iterum iteruinque recoctam denuo recoquere, sed nova ratione vindicias Paulinae originis hujus epistolae tentare.

Hoc pro virili subsequente tractatione tentabitur.

TRACTATIO ipsa.

Nova ratio, qua vindiciae originis Paulinae hujus epistolae tentabuntur, his argumentis nititur:

I. Convenientia quaedam et cognatio inter epistolam ad Hebraeos et nonnulla scripta Senecae extat.

Haec convenientia in eo cernitur

A. Quod auctor epistolae ad Hebraeos

1. Idem argumentum, si summam spectes,

2. Eadem methodo, provocans ad *a.* exempla, *b.* effata, *c.* instituta quaedam majorum, et

d. inprimis docens causas, ex quibus Jesus tot mala perpessus sit (4),

3. iisdem sententiis,

4. et nonnunquam iisdem verbis tractat, quod Seneca, ut alibi, ita maxime in epistola ad Lucilium, quae inscribitur de providentia, tractat;

B. Quod auctor ep. ad Hebr. saepenumero ad dogmata et decreta Stoicorum, quae in scriptis Senecae explicantur, vel per thesin, vel per antithesin alludit;

C. Quod interdum iisdem verbis, quibus Seneca aliique Stoici decreta sua notare solent, vel in eadem vel in alia re describenda utitur. Hae duae partes posteriores capitis primi conjunctim secundum ordinem capitum et versuum epistolae ad Hebraeos tractantur.

Cap. I, 2. Verba *πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως* ex loco Sexti Empirici, Stoicorum placitum quoddam referente, explicantur.

Vs. 2. Vox *αἰῶνες* significans *mundum* ex Stoicis illustratur.

Vs. 3. *Ἀπαύγασμα τῆς δόξης αὐτοῦ* refertur ad Stoicum dogma de natura Dei ignea, et de naturis ratione praeditis tamquam particulis inde avulsis.

Voces *καθαρισμὸς*, *καθαρότης*, *καθαριζόμενοι*, et

(4) Has causas profert:

α. Mala, quae Jesus perpassus est, in *honorem* ejus cesserunt,

β. Pro *universis* passus est,

γ. *Volens* passus est,

δ. Ex *decreto* divino.

oppositae τελείωσις, τελειότης, τετελειώμενοι, passim occurrentes, respiciunt ad Stoicum dogma de *purgatione* et *perfectione* tamquam fine omnis philosophiae.

Vs. 4—14. Quae auctor de πνεύμασι λειτουργικοῖς tradit, comparantur cum daemonologia Stoicorum, qui habent similia.

Vs. 10—12. In loco e Ps. 102. citato respicit auctor ad dogma de destructione hujus mundi Stoicum.

Cap. II, 5. Οἰκουμένη μέλλουσα non est aevum Messianum, sed nova mundi facies, ex ruinis hujus mundi olim oritura, beatorum domicilium, i. e. αἰὼν μέλλων, πόλις μέλλουσα, Hebr. XIII, 14. Explicantur hoc loco δυνάμεις μέλλοντος αἰῶνος, VI, 5; Koppii judicium de his locis; improbantur ii, qui in explicando N. T. ex Rabbinicis scriptis nimii sunt; de verbis: οὐκ ἀγγέλοις ὑπέταξε κ. τ. λ.

Vs. 6—8. Comparatur cum hoc locus Senecae.

Vs. 9. Ostenditur, lectionem χωρὶς θεοῦ esse praeferendam lectioni χάριτι θεοῦ; explicantur verba: ὅπως χωρὶς θεοῦ ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου, docetur παντὸς esse neutrum et per antithesin ad dogma Stoicorum de universo alludi. Huc etiam referuntur vs. 10, 11.

Vs. 14, 15. Auctor docens, Jesum ideo humanam naturam assumsisse, ut homines a servili mortis metu liberaret, respexit ad Stoicorum disciplinam, cujus primarius finis fuit, metum mortis tamquam miserrimam servitutem ex ani-

mis hominum excutere. Nonnulla loca Senecae afferuntur.

Cap. III, 1. Vox μέτοχος est Stoicis valde usitata. Jesus in hac sola epistola vocatur ἀρχιερεύς; Stoici sapientem dicere solebant *sacerdotem*. Ad vocem ὁμολογία, quae ter in hac epistola et praeterea 1 Tim. VI, 13. occurrit, annotantur, quae Stoici de ὁμολογία seu de convenientia disputarunt.

Vs. 4. Vox κατασκευάζειν est Stoicis solennis, quum de Deo mundi conditore verba faciunt.

Vs. 7 sqq. Κατάπαυσις Christianorum in altera vita comparatur cum nonnullis locis Senecae, ubi de *felicitate aeterna*, *pace aeterna*, *quiete* aeterna, quae defunctos expectat, sermo est.

Cap. IV, 12, 13. Ostenditur, verba: Ζῶν γὰρ ὁ λόγος τοῦ θεοῦ καὶ ἐνεργὴς καὶ τομώτερος κ. τ. λ. aeque ex Stoicorum ac Philonis scriptis illustrari posse; improbantur ii, qui ubique in nostra epistola Philoniana redolent.

Cap. V, 2. Vox μετριοπαθεῖν ex loco Senecae illustratur. Notatur in universum, hoc et sequentibus capitibus ad plura Stoicorum placita per thesin et antithesin respici, e. g.: sapiens non ignoscit, sapiens non miseretur, nullo dolore movetur, peccati expers est, non mentitur.

Vs. 7. Vox εὐλαβείας ex Stoicorum lingua illustratur; sensus verborum: ἐξακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας inde constituitur; εὐλάβεια est Stoicis εὔλογος ἔκκλισις a metu diversa.

Vs. 12. Ad verba στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς conferuntur Stoicorum ἀρχαὶ et στοιχεῖα.

Vs. 14. Vox ἕξις ex Stoicorum lingua et ex loco Senecae illustratur; est ἕξις habitus optimae mentis pendens a judicio recto et certo, quod ex αἰσθητηρίοις capit principia.

Cap. VI, 4. Nonnulla de voce φωτισθέντες.

Ad vs. 19. comparatur locus Senecae.

Cap. VII, 3. Quoad verba ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, notatur, in Senecae loco quodam simile quid reperiri.

Vs. 16. Verba: κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου illustrantur; negatur, in iis de λόγῳ sermonem esse.

Vs. 24. Τάξις Μελχισεδὲκ ἀπαράβατος illustratur e Stoicorum lingua, qui vocarunt fatum τάξιν ἀπαράβατον.

Cap. IX, 14. Formula διὰ πνεύματος αἰωνίου illustratur, rejectis aliorum sententiis; docetur, causam, ex qua hoc loco πνεῦμα vocetur αἰώνιον, ad Stoicorum placita referendam esse.

Vs. 27. Κρίσις non est κόλασις αἰώνιος, sed judicium, quod nos omnes expectat, *decretorius dies*, de quo Seneca multa habet. Profertur locus Senecae lectu dignissimus.

Cap. X, 32. Conferuntur nonnulla loca Senecae.

Cap. XI, 1—6. Confertur locus Senecae, et sensus vocis πίστις in hoc loco constituitur.

Vs. 3. Ostenditur, in verbis: εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι, vocalem μὴ nequaquam esse transpositam, et per antithesin

respici ad Stoicorum dogma de mundo ex visibili eaque aeterna materia facto.

Vs. 10. Notatur, a Stoicis coelum κατ' ἐξοχὴν vocari πόλιν; nonnulla de voce δημιουργός.

Vs. 13. Loca nonnulla Senecae comparantur.

Vs. 14. Sensus verborum: τὸν ἀόρατον ὡς ὁρῶν ἐκαρτέρησε, constituitur. Locus Senecae comparatur.

Cap. XII, 1. Vox εὐπερίστατος explicatur; ad verba: τὸν ἀγῶνα προκείμενον τρέχωμεν, comparantur nonnulla loca Senecae.

Vs. 2. Idem fit ad verba: ἀφορῶντες εἰς τὸν κ. τ. λ. Verba: ἀντὶ τῆς προκειμένης χαρᾶς, explicantur.

Vs. 9. Docetur, quid sit *pater spirituum* ex Stoicis.

Vs. 22. Contenditur, ante oculos auctorem habuisse quae Stoici de domicilio beatorum dixerunt.

Vs. 29. Verba μετὰ αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας sunt ex Stoicorum albo sumta.

Cap. XIII, 5. Stoici saepissime praecipiunt, ut τοῖς παροῦσι contenti simus.

Vs. 8. Locus celeberrimus: Ἰησοῦς Χριστὸς χθὲς κ. τ. λ. nova ratione ex Stoicorum dogmate de convenientia sapientis explicatur.

Vs. 9. Vox εὐαρεστεῖν ex Stoicorum lingua explicatur; nonnulla de voce κοινωνία; comparantur loci quidam Senecae.

II. Haec convenientia et cognatio inter epistolam ad Hebr. et nonnulla scripta Senecae ejusmodi est, ut non pro fortuita haberi possit, sed potius e

nexu quodam auctoris cum Seneca derivanda sit.

Hoc ex iis, quae in capite primo dicta sunt, ostenditur.

Triplex nexus esse potuit inter auctorem epistolae nostrae et Senecam.

A. Auctor noster ex eodem fonte cum Seneca, nempe e scholis et libris Stoicorum hausit.

B. Alter alterius scripta legit.

C. Familiaritas quaedam inter utrumque extitit.

Sive hoc, sive illud sumatur, multum pro Paulo hujus epistolae auctore efficitur; sed potissimum, si familiaritas quaedam inter Paulum et Senecam extitit.

III. Vetus est traditio, inter Paulum et Senecam familiaritatem aliquam extitisse.

A. Proferuntur testimonia libri de passione Pauli, Hieronymi, Augustini.

B. Ista traditio nititur quatuordecim Epistolis amoebaeis inter Paulum et Senecam.

1. Sunt quidem spuriae;

2. Non tamen prorsus spernendae ob plures causas.

3. Justi Lipsii et aliorum de his epistolis judicium.

C. Istae epistolae amoebaeae ipsae.

IV. Traditio de familiaritate quadam, quae inter Paulum et Senecam intercessit, est valde probabilis.

A. In Actis Apostolorum narratur, Paulum captivum Caesarea Romam translatum ibique praefecto praetorio traditum esse. Hic praefectus fuit Burrhus Senecae amicus. Uterque fre-

quentabat aulam Caesaris et Neroni adhuc juveni consilia suggerebat. Seneca ab amico de Paulo nonnulla audivit, quae eum cognoscendi Pauli curiosum redderent.

B. Paulus in ipso praetorio, id est, aula Caesaris causam suam dixit et animos auditorum in se convertit.

C. Religio Judaica, cujus doctor habebatur Paulus, magnam celebritatem Romae tum temporis nacta erat, et Romanis ita innotuerat, ut ejus accuratius cognoscendae occasionem Seneca utpote philosophus lubenter arripuisse credi possit.

D. Verisimile est, Senecam jam antea de Paulo tamquam doctore Judaico perquam erudito nonnulla audivisse per Gallionem fratrem Senecae, ad cujus tribunal Paulus Corinthi commorans a Judaeis raptus erat.

E. Paulus Senecae dignus videri poterat, quem saepius adiret; floruit enim inter coaevos fama eloquentiae. Fragmentum Longini, in quo Paulus decem claris oratoribus Graecis annumeratur. Judicium de hoc fragmento. Non repugnat huic opinioni de Pauli eloquentiae 2 Cor. XI, 6.

F. Paulus per totum biennium et fortasse longius temporis intervallum Romae captivus commoratus est, et multos ex ipsa domo Caesaris assèclas habuit; vix credibile est, de eo nihil ad aures Senecae venisse.

G. Non obstat, quod Seneca, vir et honoribus et divitiis insignis, non propensus fuerit ad

consuetudinem cum homine pauperculo et captivo ineundam. Seneca enim mitibus et ad humanitatem compositis moribus excelluit.

H. Non obstat, quod nullum propensi erga Christianos animi vestigium, immo ne verbum quidem de rebus Christianorum in scriptis Senecae reperiatur.

a. Senecae fuit doctrina de Jesu, Dei filio, crucifixo et resuscitato *μωρία*.

b. Consenuerat jam in Stoicorum sapientia.

c. Divitiarum justo amantior fuit.

d. Non semper unius ejusdemque coloris et tenoris in dictis et factis fuit.

e. Plures libri Senecae deperditi sunt; in iis fortasse Christianae religionis mentio facta erat. In libris, qui adhuc supersunt, loci, qui res Christianorum spectarunt, deleti sunt, e. g. in epist. 98. Eadem ratio est librorum Philonis et Senecae. Philo extra omnem dubitationem de Jesu ejusque doctrina multa audiverat, neque tamen ejus mentionem ullo loco fecit. Tzschirneri judicium.

I. Huc accedunt multae *formulae* loquendi et *sententiae* biblicae, quae in Senecae scriptis quibusdam occurrunt, aliis tum temporis scriptoribus plane inusitatae.

V. Epistola ad Hebraeos scripta est eodem tempore et loco, quo ista familiaritas Pauli et Senecae extiterit necesse est, et extitisse traditur.

A. Ut tempus constituatur, quo epist. ad Hebr. scripta est, necesse est, disquirere, *quinam ii sint*, ad quos scripta est.

Antiquissima et verisimillima sententia est, scriptam esse ad Christianos Palaestinenses antea Judaeos.

1. Hoc docet titulus: Ad Hebraeos. Hebraei secundum loquendi morem inter Christianos primi saeculi sunt Christiani Palaestinenses.

2. Hoc docet argumentum epistolae.

3. Nunquam in ea Christianorum ex gentilibus fit mentio.

Objectiones nonnullae refutantur.

B. Definitis lectoribus, *ad quos*, facilius *tempus*, *quo* scripta est epistola, constitui potest:

1. Scripta est ante Hierosolymae excidium;

2. Scripta est, ante initium belli Judaici, id est, ante annum 66.

3. Scripta est post annum 63.

4. Scripta est vel anno 64 vel 65.

5. Natales nostrae epistolae referendi sunt ad annum 64.

Haec omnia ex rationibus historicis demonstrantur.

C. In hoc tempus incidit tempus, quo consuetudo Pauli et Senecae extitisse traditur, nempe tempus captivitatis Pauli Romanae.

Ex chronologicis rationibus ostenditur, Paulum vere anno 62 Romam advenisse, et biennium captivitatis ejus, quod Lucas commemorat, usque in annum 64 durasse.

D. Romae scripta est epistola.

1. Non urgetur subscriptio ἀπὸ τῆς Ἰταλίας.

2. Non provocatur ad lectionem X, 34: δεσμοῖς μου, quamquam probabilibus argumentis defendi potest.

3. Gravius argumentum est, quod auctor XIII, 19. dicit: Περισσοτέρως δὲ παρακαλῶ προσεύχεσθαι περὶ ἡμῶν, ἵνα τάχιον ἀποκατασταθῶ ὑμῖν.

4. Timotheus ἀπολελυμένος vs. 23. et, quae de eo dicuntur, Romae scriptam esse epistolam arguunt. Plura de voce ἀπολελυμένος in significatione *dimissus* proferuntur.

5. Verba: ἀσπάζονται ὑμᾶς οἱ ἀπὸ τῆς Ἰταλίας, indicant, Romae epistolam exaratam esse. Ἀπὸ τῆς Ἰταλίας Actor. XVIII, 2. est idem ac ἀπὸ τῆς Ῥώμης.

6. Epistola Clementis Romani prior testatur Romanam originem epistolae.

7. Additur judicium patrum nonnullorum de scripta Romae epistola.

E. Paulus tum temporis Romae vivens et scribens multam occasionem habuit Senecam videndi ejusque scripta legendi, quae anno 63 vel 64. jam scripta erant vel scribebantur. Additur chronologia omnium scriptorum Senecae.

Liber de Providentia est epistola et ad Senecae epistolas referenda et extremis Senecae annis scripta. Nexus hujus libelli vel epistolae cum epistola 98. Verisimile est, in hac epistola de Paulo sermonem esse.

VI. De nullo alio doctore primaevae ecclesiae do-

ceri potest, consuetudinem quandam illi cum Seneca fuisse vel esse potuisse.

Commemorantur

1. Apollo,
2. Barnabas,
3. Silvanus,
4. Petrus,
5. Marcus,
6. Clemens Romanus, et nonnulli alii doctores Christianorum tum temporis: docetur vero, nulli eorum consuetudinem cum Seneca fuisse vel esse potuisse.
7. Solus Lucas ex omnibus is esse videtur, qui Senecae innotescere et dignus videri potuit, cum quo consuetudinem aliquam aleret.

Plures vero causae sunt, quae vetent Lucam auctorem epistolae agnoscere. Quinque ejusmodi causae proferuntur. Ne styli quidem moderator fuisse Lucas credendus est.

VII. Magna igitur cum probabilitate statuitur, Paulum esse auctorem nostrae epistolae, additis nonnullis, quae hactenus tractata magis commendare videntur.

Si ponimus, quae in sex prioribus capitibus exposita sunt; sequitur, epistolam esse Paulinam, et Romae sub finem captivitatis Paulinae habuisse natales. His positis

A. Pleraque, quae multis originem Paulinam fecerunt dubiam, evanescunt.

1. Voces et sententiae in caeteris epistolis Pauli non obviae;
2. Dicendi et tractandi genus Philonianis scri-

ptis simile, et convenientia locorum quorundam cum Philonis scriptis, et phrases in iis passim obviae.

3. Descriptio templi Hierosolymitani et rituum in eo peragi solitorum, quae non accurate cum descriptione, quae in V. T. legitur, concordat.

4. Paulus Judaeis et Christianis Palaestinensibus invisus non ausus esset, ad eos scribere, certe non promisisset, se eos visere et in urbem venire velle, in qua tot mala perpessus erat.

Quomodo haec omnia, positis iis, quae de origine epistolae in capitibus sex prioribus tractata sunt, evanescant, uberius docetur.

B. Lux clarior multis locis, quae alias obscuritate quadam laborant, affunditur:

1. Huc pertinet Hebr. XIII, 18, 19: Προσεύχεσθε περὶ ἡμῶν — ἀποκατασταθῶ.

2. Huc pertinet locus XIII, 23.

3. Locus XIII, 24. et ἡγούμενοι vocati doctores et antistites coetus Christiani. Cfr. vs. 7 et vs. 17.

4. Οἱ ἀπὸ τῆς Ἰταλίας, vs. 24.

C. Sententia de nexu auctoris epistolae cum philosopho Stoico non est impia et auctoritate Apostolica Pauli indigna.

1. Omnia, quae unquam sapientes viri de Deo rebusque divinis meditati et locuti sunt, inter se arctissime cohaerent.

2. Quae in epistolis Paulinis et in nostra Stoicorum placita sapiunt, ea auctoritatem ha-

bent, quatenus Apostolica auctoritate confirmata sunt.

3. Apostolus ea tantummodo a Seneca mutuatus est, quae Religioni Christianae consentanea sunt, rejectis erroneis Stoicorum opinionibus.

4. Seneca etiam nonnulla ex placitis Christianorum in suos usus transtulit.

5. Paulus in suis sermonibus et epistolis subinde etiam ex aliis scriptoribus ethnicis hausit.

6. Neque omnino verisimile est, Paulum Graecarum literarum fuisse expertem et Graecae philosophiae ignarum.

PRODROMUS,

CONTINENS

HISTORIAM LITERARIAM EPISTOLAE AD HEBRAEOS BREVEM ET SUCCINCTAM.

Res est notissima, multos N. T. interpretes et censores antiquioribus et recentioribus Ecclesiae Christianae temporibus extitisse, qui originem Paulinam Epistolae ad Hebraeos in dubium vocarent, eamque modo Lucae vel ipsissimo auctori vel translatori ex idiomate Hebraeo a Paulo scripto (1); modo Clementi Romano, ob locos nonnullos epistolae ad Hebraeos et epistolae Clementis prioris ad Corinthios

(1) Origenes apud Euseb. *Hist. Eccles.* VI, 25. tradit, nonnullos fuisse, qui Lucam pro auctore epistolae ad Hebraeos haberent, quibus recentiores nonnulli adstipulati sunt, e. g. Grotius et Crellius, his potissimum de causis permoti. Auctor epistolae de se tamquam auditore Apostolorum loquitur Hebr. II, 2, quod etiam facit Lucas I, 3, cum Paulus e contrario ab ipso Christo se edoctum esse asserat Gal. I, 12. Deinde multae voces Lucae peculiares in epistola ad Hebraeos occurrunt, ut *ἐπιστέλλειν* pro *scribere epistolam*, Act. XV, 10; XXI, 5; Hebr. XIII, 22; *ἡγούμενοι* pro *doctores evangelii*, Act. XIV, 12; XV, 22; Hebr. XIII, 7, 17; *ἀρχηγὸς* Act. I, 15; V, 31; Hebr. II, 10; XII, 2. Clemens Alexandrinus apud Euseb. *Hist. Eccl.* VI, 14. refert, a nonnullis tradi, Lucam translatorem epistolae ad Hebr. fuisse.

genuinae sibi invicem verbotenus convenientes (2); modo Barnabae, Pauli comiti, ob argumenti et consilii similitudinem, quae inter epistolam ad Hebraeos et epistolam Barnabae adscriptam intercedit (3); modo Apollonio, Judaeo Alexandrino, deinde doctori Christianorum meritissimo, et doctrinae et eloquentiae laude conspicuo, ob allegoricum V. T. usum et tractandi methodum Alexandrinam et styli elaboratioris indolem epistolae ad Hebraeos peculiarem (4); modo Petro, ob majorem auctoritatem, quam auctor epistolae oeconomiae Mosaicae tribuit in eoque a Paulo discrepans (5); modo Silvano vel Silae Pauli, deinde Petri comiti (Act. XVI, 19. 1 Petr. V, 12.), ob magnam similitudinem, quam inter priorem epistolam Petri et Epistolam ad Hebraeos intercedere dicunt, adscriberent (6).

Argumenta, quibus utuntur ii, qui Paulinam ori-

---

(2) Idem Origenes in loco citato Eusebii, et primus editur Clementis Romani Patricius Junius. Cfr. Bertholdt *Historisch Kritische Einleitung* T. VI, p. 2958.

(3) Tertullianus de Pudicitia c. 20, cui ex recentioribus adstipulantur Schmidtius *Einleitung ins N. T.* Tom. I, 289 sqq.; Ullmannus in *Theolog. Studien* etc. Tom. I, H. 2, 377 sqq.

(4) Hanc opinionem Lutherus primus protulit in praefatione ad hanc epistolam, in Commentariis Geneseos c. 48, negans Paulinam originem ob loca Ebr. II, 3; VI, 4 sqq.; X, 26 sqq.; XII, 17; nactus asseclas Clericum, Heumannum, Zieglerum, Bertholdtium (*Historisch-Kritische Einleitung* etc. Tom. VI, p. 2965), De Wette (*Einleitung ins N. T.* p. 296) et Bleekium *der Brief an die Hebräer* Tom. I, p. 423).

(5) *Versuch über den wahren Verfasser des Briefes an die Hebräer*, in den *Exegetischen Bruckstücken*, zweyter Prodromus.

(6) Böhme Epistola ad Hebraeos in praefatione p. 73 sqq. Munter *kleine theologische Schriften* Kopenhagen 1825. p. 133.

ginem epistolae negant, haec fere sunt:

I. Perpetua Apostoli Pauli consuetudo est, ut *nomen suum praemittat* epistolis indubitato a se scriptis. Quid ergo esset causae, cur in hac unica epistola, si Pauli esset, sui ipsius oblivisceretur et in fronte epistolae nomen suum taceret? Immo salutationem cum expressa nominis sui notatione signum esse omnium suarum epistolarum, scribit 2 Thessal. III, 17. Signum illud characteristicum in hac epistola abest; ergo non Pauli est.

II. Deinde auctor epistolae II, 3. fatetur, se ad eos pertinere, qui doctrinam salutiferam evangelii non *ab ipso Christo*, sed *ab audientibus eum*, i. e. Apostolis acceperint. Paulus vero diserte negat Gal. I, 12, 17, II, 6, se ab ullo homine evangelium didicisse, sed per revelationem Jesu ipsius accepisse acriter contendit. Ergo epistola Paulum non habere potest auctorem.

III. Tertium argumentum contra Paulinam originem repetitur a *styli diversitate*. Ajunt enim, stylum epistolae copiosiorem et ornatiorem esse quam caeterarum epistolarum, desiderari in ea τὸ ἰδιωτικὸν τοῦ λόγου, cujus nomine se ipse Paulus taxet, disputandi rationem qua auctor utatur, esse Paulina subtiliorem et argutias et tricas Alexandrinas et philonianas spirare. Hujus argumenti jam Hieronymus mentionem facit de Vir. illustr. c. v. his verbis: « Epistola, quae fertur ad Hebraeos, non Pauli creditur propter styli sermonisque dissonantiam." Multi recentiorum hoc uberius demonstrare studuerunt (7).

(7) E. g. Schulz *der Brief an die Hebräer* (*in die Ein-*

IV. Quarto proferunt *theologumena nonnulla* epistolae ad Hebraeos, quae in caeteris epistolis Paulinis desiderantur. In illa sermonem esse ajunt de adventu Christi morali ad judicium, cum in his de visibili proprie sic dicto reditu Christi ad judicium sermo sit; in illa perenne munus expiatorium Christi, in coelo etiam continuatum asseri, cum in his contendatur, morte Jesu munus ejus expiatorium prorsus absolutum et finitum esse; in illa alludi ad philosophema Alexandrinum de λόγῳ IV, 12, 13, VII, 16, IX, 14, cum in his nullum hujus philosophematis vestigium reperiatur, immo nonnulla effata extent, quae illi adversari videantur. Immo statuunt, in hac epistola dogmata Paulinae et Christianae doctrinae contraria reperiri, e. g. Hebr. VI, 4; X, 26; XII, 17.

V. Denique contendunt, non verisimile esse, ad Hebraeos, id est, ad *Christianos* ex Judaeis Palaestinensibus (opposite ad Hellenistas, id est, Christianos ex Judaeis exteris Act. VI, 1. Cf. Berthold t *Einleit.* T. VI. p. 2875.) Mosaicae oeconomiae acerrimos defensores, et hinc Paulo eam vilipendenti et abroganti infestos, Paulum scribere voluisse vel ausum esse, praesertim cum epistola ad

---

leitung), De Wette *Einleitung ins N. T.* p. 289. Provocant inprimis ad citandi formulas Paulo non usitatas, e. g. λέγει, μαρτυρεῖ τὸ πνεῦμα vel ὁ Θεὸς, vel sine subjecto: λέγει, εὕρηκε, quarum loco in Paulinis epistolis legitur γέγραπται, ἡ γραφὴ λέγει, ἐγράφη, vel Μωϋσῆς γράφει. Inusitatas Paulo etiam ajunt esse formulas Ἰησοῦς ἀπόστολος III, 1; οἰκουμένη μέλλουσα II, 5; πνεῦμα αἰώνιον IX, 14. et plures alias. Huc referunt etiam, quod πίστις alio sensu in epistola ad Hebraeos ac in Paulinis sumatur.

Hebraeos vel tempore captivitatis, quam Paulus Romae patiebatur, vel paulo post sine dubio scripta sit, et recens adhuc memoria injuriarum sibi a popularibus illatarum in mente Pauli fuerit (8).

His fere argumentis usi sunt, qui in antiquioribus et recentioribus temporibus originem Paulinam epistolae ad Hebraeos suspectam esse judicarunt. Non tamen defuere in primitiva ecclesia et nostris temporibus, *qui originem Paulinam agnoscerent* et *defenderent*. In ecclesia *orientali* saeculi secundi et tertii illa agnita est. Pantaenus doctor Clementis Alexandrini apud Eusebium *Hist. Eccl.* VI. 14. et Dionysius ineunte saeculo tertio apud eundem Eusebium h. e. l. VI. 41. primi testes pro Paulo epistolae auctore extant. Eusebius *Hist. Eccl.* III. 25. refert epistolam inter Paulinas, quoniam eam neque inter ἀντιλεγόμενα, neque νοθὰ, neque ἄτοπα numerat, et Paulo quatuordecim epistolas tribuit l. c. III. 3. Origenes ipse, quamquam secundum Eusebii locum supra citatum de auctore epistolae dubius esse videtur, tamen in suis scriptis Paulum auctorem nominat, e. g. Comment. in Joh. Tom. II. p. 56. A: Καὶ ἐν τῇ πρὸς Ἑβραίους φησιν ὁ αὐτὸς Παῦλος. Cf. Hug *Einleitung* T. II. p. 475. qui plura ejusmodi loca ex Origene citat. In ecclesia *occidentali* serius Paulo epistola vindicata est. Postquam diu multumque in dubium vocata et improbata fuerat origo epistolae Paulinae, tandem in

(8) Act. XXI, 21, 22. Fortasse etiam Judaei ἀπὸ τῆς Ἀσίας, qui tumultum contra Paulum ciebant, fuerunt Christiani ex Judaeis Mosaicae oeconomiae adhuc deditissimi. Cf. Bertholdt *Libri cit.* T. VI. p. 2875.

canone 36 Concilii Hipponensis 393 habiti hoc sancitum est: « Pauli apostoli epistolae tredecim, ejusdem ad Hebraeos una." Hieronymus et Augustinus ad originem epistolae Paulinam agnoscendam proni quidem sunt, sed mentionem etiam aliorum de illa dubitantium faciunt. Quod attinet ad Hieronymum, notatu dignum est ejus judicium de hac epistola, quod legimus in ejus epistola ad Dardanum T. III. p. 46. D. edit. Francof. et Lips. 1684: « Illud nostris dicendum est: hanc epistolam, quae inscribitur ad Hebraeos, non solum ab ecclesiis Orientis, sed ab omnibus retro ecclesiasticis Graeci sermonis scriptoribus quasi Pauli apostoli suscipi. — Quodsi eam Latinorum consuetudo non recipit inter scripturas canonicas —; tamen nos suscipimus, nequaquam *hujus temporis consuetudinem*, sed *veterum scriptorum auctoritatem* sequentes, qui plerumque ejus abutuntur testimoniis: non ut interdum de apocryphis facere solent — sed quasi canonicis et ecclesiasticis."

Judicat ergo Hieronymus, epistolam ad Hebraeos ab Ecclesiis Orientis, a Patribus Graecis pro Paulina haberi, consuetudinem Latinorum sui temporis Paulinam epistolae originem non agnoscere, sed eam consuetudinem esse novam et a prisca Romanae ecclesiae consuetudine recedere, veteres ejus patres et scriptores aliter sensisse et epistolam ad Hebraeos Paulo adscripsisse, seque velle horum auctoritatem sequi et Paulo epistolam vindicare. Innuere videtur, epistolam ad Hebraeos, quam olim Latini patres canonicam credebant, postea Montanistarum et Novatianorum motibus in ecclesia occiden-

tali exortis, e canone omissam esse, quoniam horum schismaticorum erroribus in nonnullis locis, e. g. C. VI. patrocinari videretur.

Post Hieronymi tempora omnes fere Scriptores ecclesiastici Paulo tribuunt epistolam ad Hebraeos usque ad saeculum instauratorum sacrorum, quo praeeunte Luthero et nonnullis aliis origini Paulinae denuo lis facta est. Nec tamen Lutheri opinio in nostra ecclesia ita praevaluit, ut maxima pars nostratium ei adstipularetur. Quin immo plerique ex theologis nostrae ecclesiae, si recentissimos excipias, Paulo epistolam vindicare studuerunt (9). Inter recentiores Paulinae originis defensores et patronos nominari merentur Ernesti *in Opusculis Theologicis*, Koppe *N. T.* Tom. I, 391, Storr *Uebersetzung des Briefes an die Hebräer*, Nösselt *de tempore, quo scripta fuerit Epistola ad Hebraeos*, Weber *de numero epistolarum Pauli ad Corinthios rectius constituendo*, Kleuker *über den Ursprung und Zweck der Apostolischen Briefe*, Meyer *über einige innere gründe für die Abfassung des Briefs an die Hebräer von Paulus, im Kritischen Journal der neuesten Theol. Lit.* Th. 2. (10). Inter

(9) Cf. Pritius, *Introductio in lectionem N. T. edita ab* Hofmanno p. 36—39. et Bleek, *der Brief an die Hebräer* T. I, qui copiosissime historiam literariam hujus epistolae exposuit. — Quanti etiam nostrates Lutherum aestimarint, non tamen beatos manes ejus postulare judicarunt, ut quaslibet ejus conjecturas et judicia tuerentur. E. g. Martinus Chemnitius *in Examine Concilii Tridentini* T. I, p. 61. edit. Francof. epistolam ad Hebr. Paulinis annumerat, aliique plures.

(10) Morus in versione Germanica hujus epistolae de auctore ta-

theologos protestantes ecclesiae nostrae non addictos Wetstenius originem Paulinam epistolae defendit.

Quod attinet ad theologos ecclesiae Romano-Catholicae, ii obstricti decreto primo quartae sessionis Synodi Tridentinae, Paulo tribuunt epistolam. Inter eos vero etiam fuerunt, qui Paulinam originem gravissimis argumentis defenderent: inter quos eminet professor theologiae Friburgensis celeberrimus Hug in libro: *Einleitung in die Schriften des N. T.* edit. 3. T. II. p. 452 sqq.

Hi defensores Paulinae originis epistolae ad Hebraeos partim argumenta contra eam prolata labefactare, partim argumenta pro ea exponere studuerunt.

I. Ad argumentum contra Paulinam originem *primo loco prolatum* respondent, Paulum ideo nomen suum huic epistolae non praemisisse, quod illud Hebraeis invisum sciret, propter legis Mosaicae, cujus adhuc studiosissimi patroni erant, abrogationem a se praedicatam et defensam, ne a legenda epistola deterrerentur; deinde apostoli titulo in epistola ad Hebraeos uti noluisse, quoniam munere apostolico inter Hebraeos vel τοὺς ἐκ τῆς περιτομῆς solenni fere ratione se abdicans, Gal. II, 9, 10 propagationem evangelii tantum inter gentiles suscepisset, vel modestiae causa, quoniam Jesum III, 1 nominasset apostolum;

---

tet; verba C. XIII, 19: ἵνα τάχιον ἀποκατασταθῶ ὑμῖν, vertit: „Damit ich euch desto eher wieder geschenkt werde:" in nota vero his verbis adjuncta ita judicat: „Vielleicht heisst dieses: damit ich aus der Gefangenschaft befreyet werde." Dubius ergo haesit, quod apertius in suis praelectionibus confessus est, in eoque dissentiens a doctore suo Ernestio.

porro epistolam ad Hebraeos magis orationi quam epistolae similem esse, et lectorem in medias res abripere, ita ut solita in caeteris epistolis notatio nominis Pauli locum non habere potuerit; parem etiam esse rationem epistolae Johannis primae, nomen apostoli non praefixum esse illi, neque tamen dubitari, Johannis esse; fortasse etiam initium epistolae periisse.

II. Ad *argumentum secundum* respondent, vocem ἡμᾶς non de Paulo, sed de Hebraeis vel *communicative* esse explicandam; hanc communicativam loquendi formulam occurrere etiam I, 1: in his ultimis temporibus Deus locutus est ἡμῖν ἐν υἱῷ; hic aperte ἡμῖν opponi τοῖς πατράσι, neque de solo Paulo, sed de omnibus Judaeis sermonem esse posse; exempla hujus loquendi rationis adhuc evidentiora reperiri in epistola ad Romanos XII, 6; XIII, 11—14. Cf. Hug *lib. laud.* T. II. p. 466 sqq. et Wetstenius in *Prolegomenis ad hanc epistolam*, qui haec notat: « In epistola ad Galatas id agit, ut auctoritatem suam adstruat; in hac vero, ubi de supplicio defensoribus impendente loquitur, ut minus ingrata esset comminatio atque admonitio, se ipsum lectoribus annumerat, δεῖ ἡμᾶς προσέχειν τοῖς ἀκουσθεῖσιν, μή ποτε παραῤῥυῶμεν — postquam igitur ita coepisset, consequens erat, ut in eadem figura pergeret, scriberetque ἥτις σωτηρία — εἰς ἡμᾶς ἐβεβαιώθη. Ita Eph. II, 3; Col. I, 12, 13; Tit. III, 3. facit."

III. Ad *argumentum tertium* proferunt, thema epistolae vel orationis paraeneticae ad Hebraeos ita comparatum esse, ut solito altius in dicendo Paulo surgendum esset, neque adeo ἰδιώτην τῷ λόγῳ fuisse

Paulum, ut auctor hujus elaboratiore stylo scriptae epistolae putari nequeat; non ideo Paulum 2 Cor. XI, 6. se vocare ἰδιώτην τῷ λόγῳ, quod dexteritatis in dicendo expers, sed quod voce et lateribus infirmus fuerit, tenuiter pronuntiaverit, et actione bene composita caruerit, quod secundum 2 Cor. X, 10. ἀσθενὴς ἡ παρουσία τοῦ σώματος καὶ ὁ λόγος ἐξουδενημένος ei fuerit (11). Neque etiam multa ἅπαξ λεγόμενα hujus epistolae de Paulina origine dubitandi causam satis idoneam nobis suppeditare, cum aliud argumentum alia etiam verba desideret, et quum in aliis (12) etiam epistolis Paulinis multa ἅπαξ λεγόμενα reperiantur; praeterea multas haud vulgares voces, quibus auctor epistolae ad Hebraeos utatur, legi etiam in Paulinis epistolis, e. g., verbum Dei comparari cum gladio Eph. VI, 17, Hebr. IV, 12; tirones in religione Christiana vocari νηπίους 1 Cor. III, 1, Hebr. V, 13; elementa doctrinae Christianae στοιχεῖα Gal. IV, 9, Hebr. VI, 12; doctrinam solidiorem dici βρῶμα, στερεὰν τροφὴν Hebr. V, 13, 1 Cor. III, 2. vocem ὑποτάσσειν et ὑποτάσσεσθαι eodem sensu et orationis nexu occurrere Hebr. II, 8 et 1 Cor. XV, 27, 28 etc. (13).

---

(11) Longinus in fragmento, de quo infra dicendum erit, Paulum Tarsensem magnis Graeciae Oratoribus annumerat.

(12) Schleiermacher, in Epistola priori ad Timotheum 81 ἅπαξ λεγόμενα, Plank, (*Bemerkungen über den ersten Paulinischen Brief an den Timotheus gegen* Schleyermacher) in Epistola secunda ad Timotheum 63. et in Epistola ad Titum 44. annotavit.

(13) Weberus, in libro laudato, magnam similitudinem inter epistolas ad Corinthios et epistolam nostram deprehendit, et hanc pro quarta Pauli ad Corinthios habet.

IV. Ad *argumentum quartum* proferunt, loca ista, in quibus theologumena a Pauli ingenio aliena quidam sibi reperisse visi sunt, esse dubiae interpretationis, e. g. loca, in quibus vestigia λόγου Alexandrini extare perhibentur, ista loca aliter et Paulinae theologiae convenienter explicari posse, nec non fieri potuisse, ut Paulus Romae captivus commorans, occasionem legendi Philonis libros nactus, iade nonnulla in epistola ad Hebraeos delibaverit. Quod attineat ad dogma de munere Christi expiatorio etiam in coelis continuato (14), id intelligendum esse de vi effectrice mortis expiatoriae Jesu, quae profecto in aeternum apud Deum in coelis etiam secundum caeteras Pauli epistolas valeat, neque vocem ἐντυγχάνειν VII, 25. nimis urgendam esse, reperiri etiam in epistola ad Romanos VIII, 34. Quod auctor epistolae ad Hebr. statuat, omnes Mosaicae religionis ceremonias esse σκιὰν τῶν μελλόντων, hoc non esse dogma mere Alexandrinum, reperiri etiam Coloss. II, 17. Si multa allegorumena in hac epistola occurrant, et narrationes V. T. nonnullae allegorice et typice de munere Christi expiatorio explicentur, ejusmodi loca et explicationes extare etiam in epistola ad Corinthios priori X, 1—6, 11; Rom. V, 14; Gal. IV, 21—31. Vocem πίστεως (15)

---

(14) Hoc enim Cap. VII, 25, IX, 24. contra consuetudinem Pauli doceri nonnulli putant.

(15) Πίστις et ἐλπὶς distinguuntur quidem a Paulo 1 Cor. XIII, 13. sed intime hae virtutes Christianorum nexae sunt, et πίστις complectitur non solum credenda, sed etiam speranda et designat habitum animi, qui credit iis, quae Deus docet et promittit. Hinc πίστις refertur nonnunquam ad promissiones divinas, et habitum animi promissionibus divinis credentis. Hoc fit inprimis in epistola ad

ab auctore epistolae sumi quidem latiori sensu et referri ad promissiones divinas et fiduciam in iis positam; eodem vero sensu occurrere etiam Rom. IV, 16—20, Gal. III, 5; in aliis epistolis quidem πίστιν opponi τοῖς ἔργοις νόμου, in epistola ad Hebraeos vero, homines ἐκ περιτομῆς, hoc circumspecte et prudenter ab apostolo omissum esse, caeterum πίστεως justificantis vestigia etiam in epistola ad Hebraeos conspici XI, 7.

V. Ad *quintum argumentum* respondetur ita: Paulus scribens ad Hebraeos, quos sibi offensos esse sciebat, fecit, quod sectatorem religionis Christianae quemlibet genuinum et candidum decet; immemor injuriarum et Dei Christique amantissimus id tantummodo egit, ut Palaestinenses Christianos, quos multifariam ad defectionem a religione Christiana sollicitari compererat, in tenaci fidei Christianae confessione confirmaret. Caeterum non tam Christiani Palaestinenses, quam Judaei, Paulum oderunt, et inter Christianos Palaestinenses si vel nonnulli Paulo irascerentur, fuerunt etiam multi apostolo dediti, e. g. Ptolemaide Act. XXI, 7, Caesareae vs. 8 etc. Hierosolymis Act. XXI, 17. Hinc etiam dicere poterat Paulus in epistola ad eos scripta: Προσεύχεσθε περὶ ἡμῶν ἵνα τάχιον ἀποκατασταθῶ ὑμῖν.

Hac ratione defensores Paulinae originis ad Hebraeos epistolae *argumenta contra* hanc originem *labefactare* student.

Adjungunt etiam *argumenta*, *quae pro ista origine* aliquid efficere videntur.

Hebraeos. Cf. Mørus, *in Praefatione ad versionem Germanicam hujus epistolae*, et Hug *lib. laud.* T. II. p. 464 sqq.

Auctor hujus epistolae, inquiunt, fuit captivus, cum illam scriberet; hortatur enim Hebraeos ad preces pro se faciendas, ut ipsis τάχιον ἀποκατασταθῇ, id est, ut e captivitate citius liberetur et amicis reddatur (16). Lectio Hebr. X, 34, ἐν τοῖς δεσμοῖς μου συνεπαθήσατε, quamquam eam Griesbachius e textu N. T. eliminavit, et ab aliis improbatur, probabilibus argumentis defendi potest, certo docet, ab antiquissimis inde temporibus vocem ἀποκαταστατῶ de liberatione e carcere et vinculis intellectam esse. Multis iisque non levibus argumentis doceri etiam potest, epistolam ad Hebraeos isto tempore, quo Paulus Romae captivus detinebatur, scriptam esse. Porro auctor mentionem facit Timothei, nominat eum fratrem, et appellat eum comitem itinerum suorum, promittens, simulac Timotheus ad se venerit, eo socio se ad lectores epistolae iter facturum esse. Vocat Timotheum ἀπολελυμένον (17), *dimissum*, respiciens ad id, quod in alia

(16) Significatio vocis ἀποκαθίστημι dubia quidem est. In N. T. et aliis scriptoribus notat in universum *in pristinum statum restituere*, quae significatio liberationem et vinculis involvit. Wahlius (*Clavis* p. 124.) locum Hebr. XII, 19. de doctore *captivo* suis reddendo interpretatur. Morus, ut supra vidimus, dubius est. Rosenmüller in Scholiis ad hunc locum dicit: » Ex his verbis neutiquam sequitur, in vinculis haec scripta esse. Liberatus potius e carcere Timotheum expectat itineris comitem." Sed liberatio Pauli e carcere, quo Romae tenebatur, res valde ambigua est. Plura de hac voce in Capite quinto hujus libri afferentur.

(17) Vox ἀπολελυμένος Hebr. XIII, 23. dubiae est interpretationis. Mosheim (*Einleitung zu dem ersten Brief an den Timotheus*) putat, Timotheum, qui Paulo in carcere Romae detento se fidus Achates adjunxerat, ab Apostolo in ullum aliquem locum Italiae missum, ibi in vincula conjectum et rursus ex iis liberatum esse, ita ut adventus ejus a Paulo expectari posset; hanc liberationem carissimi Timothei tanti visam esse Paulo, ut Hebraeis ea nuntiare-

epistola paulo ante Romae scripta, ad Philippenses dixerat Philipp. II, 19 etc. Salutat porro Hebraeos nomine eorum, qui ex Italia sunt Christiani, et captivum apostolum Romae viserant. Haec omnia quadrant in Paulum eumque epistolae auctorem notant. Huc accedit, quod veteres patres ecclesiastici, cum dubii sunt de auctore hujus epistolae, nunquam provocant ad traditionem antiquam, quae Paulinam hujus epistolae originem diserte et directe impugnaverit, sed ob diversitatem styli dubii de auctore hujus epistolae haerent, statuentes *νοήματα* quidem esse Pauli, sed non *ῥήματα*, Paulum quidem argumentum suppeditasse, sed Lucam moderatorem styli fuisse. Haec vero dubitandi de auctore epistolae causa levis est, si multa alia pro Paulina origine loquuntur.

Hac fere ratione a viris spectatae eruditionis Paulina epistolae ad Hebraeos origo defenditur. Nequaquam tamen, quae ab illis in hunc finem prolata sunt, recentissimis quibusque commentatoribus hujus epistolae satisfecerunt. Quippe fere omnes, qui nuperrime in illam commentati sunt, e. g. Schulz, Böhme, Bleek, Kuinoel in libris antea laudatis, necnon qui hodegetica in libros S. S. scripserunt, e. g. Bertholdt, de Wette, Guerike (*Beyträge zur Historisch-Critischen Einleitung ins N. T.*) eam Paulo abjudicant. Sic habent sua fata libelli etiam S. S. Ante hos centum annos

---

tur. Pronus ergo est ad significationem liberationis e vinculis voci *ἀπολελυμένος* tribuendam, quamquam omnia argumenta contra hanc hujus vocis significationem suo more judiciosissime examinat. Plura de hac voce infra dicentur.

eo res inter protestantes theologos venerat, ut vix reperiretur, qui Paulo epistolam istam non adjudicaret. Ita enim scribit Pritius in Introductione in lectionem N. T. ineunte saeculo praeterlapso scripta pag. 51. edit. Hofmanni: « Quae Spanhemius in Exercitatione de auctore epistolae ad Hebraeos, Calovius in Bibliis illustratis et Witsius in Meletematibus Leidensibus, ad eam Paulo vindicandam scripserunt, cum sint valida satis, quantum quidem in causa hujus generis requiri potest; hodie vix reperitur, qui Paulo epistolam non adjudicet." Et Hofmannus, qui librum Pritii auctum 1730 edidit, in nota subjecta addit: « Sine dubio Lutherus Paulo vindicasset epistolam, si nactus fuisset ea subsidia, idque otium, quod nos aliique post eum." Tempora mutantur, et ipsi theologi mutantur in illis. Nostris temporibus vix ullus spectatae eruditionis theologus, excepto Hugio (18), reperitur, qui beato Pritio et Hofmanno et tum temporis in theologia coryphaeis assentiatur. Atque profecto, si in republica literaria secundum praejudicium auctoritatis omnia dijudicanda essent, ab omni tentamine, sententiam sententiae celeberrimorum nostrae aetatis theologorum contrariam defendendi, et Paulinam originem epistolae ad Hebraeos asserendi, mihi prorsus abstinendum esset.

---

(18) Addendus est Schulthessius in *neuen Theologischen Annalen* 1818. T. II. p. 743 sq.; Petrus Hofstede de Groot in *Disputatione, qua Ep. ad Hebr. cum Paulinis comparatur*, Trajecti ad Rhen. 1826; Moses Stuart, *Commentary on the Epistle to the Hebrews*, Londini Vol. I. 1828. Cf. Kuinoel, *Prolegg. ad Comment.* p. VI.

Attamen audienda est et altera pars maxime in rebus adhuc dubiis, cujus modi est disquisitio de auctore nostrae epistolae, praesertim cum promittat, ζητούντά τινα proferre, et nova ratione Paulinam originem epistolae ad Hebraeos defendere. Hoc pro virium mearum modulo tentabo, verane sint et verisimilia necne, quae prolaturus sum, aliis dijudicandum reliquens.

TRACTATIO IPSA.

Nova ratio, qua ego vindicias Paulinae originis ad Hebraeos epistolae tentaturus sum, his momentis nititur:

I. Convenientia quaedam et cognatio inter Epistolam ad Hebraeos et nonnulla scripta Senecae extat.

II. Haec convenientia et cognatio ejusmodi est, ut non pro fortuita et omnibus, qui de rebus divinis meditantur et scribunt, communi haberi possit, sed potius e nexu quodam auctoris cum Seneca derivanda sit.

III. Vetus est traditio, inter Paulum et Senecam familiaritatem aliquam extitisse.

IV. Haec traditio valde probabilis est.

V. Epistola ad Hebraeos scripta est eodem tempore et loco, quo ista familiaritas inter Paulum et Senecam extiterit necesse est, et extitisse traditur.

VI. De nullo alio ejusdem temporis doctore Christiano doceri potest, consuetudinem quandam illi cum Seneca fuisse vel esse potuisse.

VII. Magna igitur cum probabilitate Paulus pro auctore epistolae ad Hebraeos habetur, additis nonnullis quae in prioribus capitibus tractata magis adhuc commendare videntur.

Tota tractatio ergo in septem capita dispescitur, quae deinceps pro viribus uberius exponam.

CAPUT PRIMUM.

Convenientia quaedam et cognatio inter epistolam ad Hebraeos et nonnulla scripta Senecae extat.

Haec convenientia et cognatio in eo cernitur:

A. Quod auctor epistolae ad Hebraeos *idem argumentum*, si summam spectes, *eadem methodo*, *iisdem sententiis* et nonnunquam *iisdem verbis* tractat, quod Seneca, ut alibi ita maxime in epistola ad Lucilium, quae inscribitur de providentia, tractat.

B. Quod auctor saepenumero ad dogmata et decreta Stoicorum, quae in scriptis Senecae explicantur, vel per thesin vel per antithesin alludit.

C. Quod interdum iisdem verbis, quibus Seneca aliique Stoici decreta sua notare solent, vel in eadem vel in alia re describenda utitur.

CAPITIS PRIMI PARS PRIMA.

Convenientia et cognatio inter epistolam ad Hebraeos et nonnulla Senecae scripta

A. *Primum* in eo cernitur, quod auctor epistolae

ad Hebraeos *idem argumentum*, si summam spectes, *eadem methodo*, *iisdem sententiis* et nonnunquam *iisdem verbis* tractat, quod Seneca, ut alibi, ita maxime in epistola ad Lucilium, quae inscribitur de providentia, tractat.

I. *Idem argumentum*, si *summam* spectes, et res, quae vocantur circumstantes, quaeque utrumque auctorem ad scribendum impulerunt, excipias; in his enim magna est diversitas.

Argumentum primarium epistolae ad Hebraeos in eo versatur, ut auctor Christianos Palaestinenses, qui ob confessionem Religionis Christianae a popularibus Judaicae Religionis tenacibus gravissime vexabantur, et partim argumentis a praestantia religionis Mosaicae desumtis, partim minis et persecutionibus ad apostasiam impellebantur, adhortetur ad constantiam in confitenda et exercenda religione sua.

Multi inter illos sine dubio fuerunt, qui durissima quaevis a popularibus et a proceribus Judaeorum experti, ita ratiocinabantur:

Si Religio Christiana divinitus orta, auctorque ejus Jesus Dei filius est, et adoptando et exercendo ejus doctrinam voluntati Dei obtemperatur; quomodo fit, ut nos, qui fidem Christo habemus et sic Deo obtemperamus, tot mala patiamur, quasi Deo invisi? Quomodo fit, ut adversarii nostri, Christi doctrinam respuentes, in eoque Deo immorigeri, ab ejusmodi vexationibus immunes sint, et laeta fruantur sorte? Nonne hoc documento est, asseclas religionis Christianae parum Deo gratos esse, certe a Deo non curari, et melius nobiscum actum fore, si missa in Christum fide ad Mosaicam religionem, cujus praestantia

tantopere ab adversariis laudatur, revertamur? Hanc ratiocinationem auctor epistolae ad Hebraeos infringere et refutare studet potissimum demonstrans, calamitates, quas quisque bonus patiatur, nequaquam esse documentum indignantis ipsi numinis, sed potius amoris Dei, quippe qui malis, quae in viros probos immittit, eos exercere, corroborare et ad altius virtutis fastigium evehere velit. Multus quidem auctor est in demonstranda praestantia Religionis Christianae prae Mosaica, sed summa argumenti totius epistolae eo spectat, ut Christiani Palaestinenses admoneantur, ne ob calamitates, quas religionis causa experiebantur, a recto veri et honesti tramite declinare velint. Epistola ad Hebraeos est λόγος παρακλήσεως, ut auctor ipse testatur Hebr. XIII, 22; XII, 5. Hinc etiam Schulz (*Die Epistel an die Hebräer* p. 40.) ita judicat: « Die Ermahnungen zur Standhaftigkeit im Christlichen Glauben unter Druck und Trübsalen sind die Hauptabsicht des ganzen, der die eingestreuten Dogmen nur dienstbar sind."

Idem vero argumentum tractatur in nonnullis scriptis Senecae, maxime vero in *libello Senecae de Providentia*, qui etiam hunc titulum habet: Quare bonis viris mala accidant, cum sit providentia (1).

(1) Sicut Epistola ad Hebraeos magis speciem tractatiunculi quam epistolae prae se fert; ita tractatiuncula Senecae de Providentia in numerum epistolarum ad Lucilium referenda esse videtur et a multis relata est. Fortasse ab aliis epistolis ob argumenti gravitatem et utilitatem separata et peculiari titulo insignita est. Simile argumentum tractatur in Epist. 28, in Consolationibus et passim in aliis scriptis.

Non enim in universum Seneca in hoc libello tractat locum de providentia, quem in alio libro, qui nostram aetatem non tulit, fusius tractaverat, sed particulam tantum hujus loci a toto revulsam. Ponit providentiam esse, et ostendit, quomodo mala, quae boni viri saepe experiuntur, cum providentia divina conciliari possint. Monet, calamitates viris bonis immissas non testari aversum Dei ab illis animum, sed signa patrii ac benevoli erga illos animi esse: « Operibus, inquit, laboribus et damnis exagitantur, ut verum colligant robur. Ipsis Deus consulit, quos quam honestissimos esse cupit, quoties illis materiam praebet aliquid animose fortiterque gerendi, ad quam rem opus est aliqua rerum difficultate." Totum argumentum libelli in eo versatur, ut integri vitae scelerisque puri Deumque pia mente colentes admoneantur, ne ob infortunia et calamitates a persuasione de providentia res humanas administrante et bonos amante et curante desciscant, neque a vero recti tramite seduci se patiantur. In fine libelli Deus ipse loquens introducitur: « Quid habetis, quod de me queri possitis vos, quibus recta placuerunt. Vobis dedi bona certa, mansura; non fulgetis extrinsecus, bona vestra introrsus obversa sunt. Ferte fortiter. Contemnite paupertatem; contemnite dolorem etc."

II. Auctor epistolae ad Hebraeos idem argumentum *eadem methodo* tractat, qua Seneca in libro de providentia.

a. Auctor epistolae ad Hebr. ad patientiam in adversis et constantiam in religione tuenda Christianos Palaestinenses adhortatur *multis exemplis* ex historia Judaeorum depromtis, et docet, quid virtus,

quid sapientia possit, nixa fide in Deum bonis suo tempore bona tribuentem. Totum caput XI. in eo versatur, ut viri ex proavis Judaeorum, integritate morum conspicui Deique amantissimi, nihilominus tamen multa et gravia exantlantes, nixi fide in providentiam Dei justa justis suo tempore tribuentem, exempla patientiae proponantur. Initio capitis XII. additur: *Τοιγαροῦν καὶ ἡμεῖς τοσοῦτον ἔχοντες περικείμενον ἡμῖν νέφος μαρτύρων — τρέχωμεν δι' ὑπομονῆς τὸν προκείμενον ἡμῖν ἀγῶνα.* Inprimis ad exemplum Christi, qui fuerit *ἄμωμος, ἀμίαντος, ὅσιος*, ab omni labe peccati immunis, et atrocissima quaevis summa constantia perpessus ideoque ad summum honoris fastigium evectus sit, intuendum et imitandum Christianos Palaestinenses adhortatur.

Non aliter Seneca argumentum istud tractat. Provocat ad *exempla* virorum vitae integritate insignium ex historia Romanorum depromta, iisque addit Graecorum Socratem. « Illis, inquit, nequaquam nocuêre mala, quae perpessi sunt, sed incrementa virtutis et gloriam aeternam conciliaverunt. Num infelix est Mucius, quod dextera ejus ignem premit et ipse a se exigit erroris sui poenas? Num infelix est Fabricius, quod rus suum, quantum a republica vacavit, fodit? quod bellum tam cum Pyrrho, quam cum divitiis gerit? quod ad focum coenat illas ipsas radices, quas in agro repurgando triumphalis senex vulsit? Num infelix fuit Rutilius, quod, qui illum dampnaverunt, *causam dicent omnibus saeculis?* Veniamus ad Regulum, quid illi fortuna nocuit, quod illum *documentum fidei*, *documentum patientiae* feçit? Figunt cutem clavi, et quocunque

corpus fatigatum reclinavit, vulneri incumbit et in perpetuam vigiliam suspensa sunt lumina? Quanto plus tormenti, tanto plus erit gloriae. Vis scire, quam non poeniteat hoc pretio aestimasse virtutem? Refice tu illum et mitte in senatum; eandem sententiam dicet. — Maecenas licet mille voluptatibus mentem anxiam fallat: tam vigilabit in pluma, quam ille in cruce. — Male tractatum Socratem judicas, quod illam potionem publice mixtam non aliter quam medicamentum immortalitatis obduxit, et de morte disputavit usque ad ipsam? Quod ad Catonem pertinet, summam illi felicitatem contigisse, consensus hominum fatebitur, quem sibi rerum natura delegit, cum quo metuenda collideret."

Discrimen, quod inter hanc tractationem utriusque libelli extat, in eo est, quod auctor epistolae ad Hebraeos, quippe Christianus ex Judaeis loquens ad Christianos ex Judaeis, ad exempla ex historia Judaica et inprimis ad exemplum Christi auctoris religionis Christianae provocat, Seneca vero ad exempla ex historia Romana, maxime ad exemplum Catonis, quem tamquam absolutissimum exemplum virtutis et constantiae proponit in hoc libello, et passim in aliis, sicuti apostolus Christum. Cato est, ut ita dicam, Senecae Christus (2).

b. Porro auctor epistolae rem suam tractans *multa loca e libris sacris V. T. citat*, iisque, quae docet,

(2) De Provid. c. 2. ita de Catone loquitur Seneca: » Non video, » quid habeat in terris Jupiter pulchrius, si convertere animum velit, quam ut spectet Catonem."

illustrare et comprobare studet. Idem facit etiam Seneca in libello de providentia, dicta Demetrii philosophi et decem versus ex Ovidii metamorphosibus citans.

c. Deinde auctor epistolae nostrae ad rem suam illustrandam et probandam fusius *tractat instituta et ritus Mosaïcae religionis;* Seneca cap. 5 simile quid facit, argumentum suum illustrans exemplis ab institutis Romanae civitatis et religionis petitis. « Non est iniquum, inquit, nobilissimas virgines (Vestales) ad sacra facienda noctibus excitari, altissimo somno inquinatas frui? Senatus per totum diem consulitur, cum illo tempore vilissimus quisque aut in campo otium suum oblectet, aut in popina lateat, aut tempus in aliquo circulo terat."

d. Inprimis auctor epistolae nostrae, dum *causas tractat*, ex quibus Jesus, exemplum virtutis et patientiae absolutissimum et ab omnibus imitandum, tot mala perpessus sit, idem profert, quod Seneca in suo libello.

α. Auctor epistolae nostrae nempe contendit, aerumnas, quas Jesus perpessus sit, *in honorem ejus cessisse.* Verba ejus sunt II, 9: Τὸν δὲ βραχύ τι παρ' ἀγγέλους ἠλαττωμένον βλέπομεν Ἰησοῦν, διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου, δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφανωμένον. Cap. XII, 2: Τετέμεινε σταῦρον, αἰσχύνης καταφρονήσας ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τοῦ θεοῦ ἐκάθισεν.

β. Porro dicitur, Christum *pro universis hominibus* mortem obiisse, eosque in aeternum a noxis peccatorum redemisse. Καθαρισμὸν, inquit, ἐποιήσατο τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, λύτρωσιν αἰώνιον εὑράμενος, factus est morte sua μεσίτης διαθήκης καινῆς. Cfr. Hebr. IX,

26—28; V, 8, 9. Locum II, 9: Ὅπως χάριτι θεοῦ ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου citare nolim, quoniam explicatio phrasis ὑπὲρ παντὸς, *pro toto genere humano*, vel *pro omnibus*, falsa mihi esse videtur, quod infra uberius docebo.

γ. Deinde docetur, *volenti Jesu* ista mala accidisse. Hebr. IX, 14: Προσήνεγκεν ἑαυτὸν τῷ θεῷ. Applicatur ad Jesum Psalmus XL et verbis Psalmi loquens introducitur: Ἰδοὺ ἥκω τοῦ ποιῆσαι, ὁ θεός, τὸ θέλημά σου.

δ. Denique auctor epistolae nostrae dicit, Jesum aerumnas mortis cruentae et ignominiosae pertulisse ex *decreto divino* per prophetas V. T. patefacto. Huc spectat Hebr. IX, 14: Christus se obtulit διὰ πνεύματος αἰωνίου, vel, ut alii volunt, διὰ πνεύματος ἁγίου, id est, secundum decretum divinum, quod ἄνθρωποι ἅγιοι φερόμενοι ὑπὸ πνεύματος ἁγίου, 2 Petr. I, 21, in scriptis V. T. patefecerunt. Plura de phrasi πνεῦμα αἰώνιον infra dicentur.

Seneca easdem causas affert, ex quibus providentia divina bonis viris mala et calamitates immittat. Scribit ad Lucilium in libello de providentia: „Dico ista, quae tu vocas aspera, adversa, abominanda *primo pro ipsis* (bonis viris) esse, quibus accidunt; *deinde pro universis*, quorum major cura Diis est, quam singulorum. *Posthaec volentibus accidere.* His adjiciam *fato* ista fieri.“ Hoc ordine toto libello procedens exponit, cur bonis viris mala immittantur, et uberius ostendit, mala ista esse nequaquam ejusmodi, ut viros probos a veri et honesti tramite recedere cogant.

Discrimen, quod inter hanc tractationem utriusque

libelli intercedit, in eo est, quod auctor epistolae ad Hebraeos, quippe Christianus, ultimum solatium malorum proponit spem alterius meliorisque post mortem vitae; philosophus vero, quod attinet ad alteram vitam, dubius haeret et placita suae sectae sequens autochiriam commendat, et contendit, Deum nihil facilius fecisse quam mori, prono loco ab eo animam hominis positam esse, brevem et expeditam esse viam, qua homo se ab omnibus malis liberare possit.

III. Auctor epistolae ad Hebraeos idem argumentum *iisdem sententiis* tractat, quibus Seneca utitur.

Hanc singularum sententiarum convenientiam maxime deprehendimus in locis utriusque libelli, in quibus auctores usum paedeuticum calamitatum a Deo viris bonis immissarum docent. Seneca has sententias profert:

« Inter bonos viros ac Deum amicitia est, conciliante virtute. Amicitiam dico? Immo etiam necessitudo et similitudo. — Vir bonus est aemulator Dei et vera progenies, quem parens ille magnificus, virtutum non lenis exactor, sicut severi patres, durius educat. Itaque cum videris viros bonos acceptosque Diis laborare, sudare, malos autem lascivire et voluptatibus fluere; cogita filiorum nos modestia delectari, vernularum licentia. — Idem tibi de Deo liqueat. Bonum virum non in deliciis habet: experitur, indurat, sibi illum praeparat. — Vir bonus omnia adversa exercitationes putat. — Marcet sine adversario virtus; tunc apparet, quanta sit, quantum valeat, quantumque polleat, cum, quid possit, patientia osten-

dit. — Patrium habet Deus adversus bonos animum, et illos fortiter amat, et operibus, inquit, doloribus ac damnis exagitentur, ut verum colligant robur. — Miraris tu, si Deus ille bonorum amantissimus, qui illos quam optimos esse ac excellentissimos vult, fortunam illis, cum qua exerceantur, assignat? Ego vero non miror, si quando impetum capiunt spectandi viros magnos, colluctantes cum aliqua calamitate. Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus; ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus! — Mors illos consecrat, quorum exitum, et qui timent, laudant. — Opus est ad notitiam sui experimento; quod quisque posset, nisi tentando didicit. — Calamitas virtutis occasio est. — Hos itaque Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet. — Verberat et lacerat nos fortuna? patiamur; non est saevitia, certamen est. — Nihil patior invitus, quod scio, omnia certa et in aeternum dicta lege decurrere. Olim constitutum est, quid gaudeas, quid fleas, et quamvis magna varietate singulorum vita distingui videatur, summa in unum venit: accepimus peritura perituri. Quid ergo indignamur? quid querimur? (3) — Ignis aurum probat, miseria fortes viros. Quid mirum, si dure generosos spiritus

(3) Obiter notare velim, hunc locum Gellerto ante oculos fuisse in componendo notissimo Hymno: Auf Gott und nicht auf meinen Rath etc., cujus versus secundus pro versione hujus loci haberi potest: „Gott sah vor aller Ewigkeit, wie viel mir nützen würde etc." In aliis hymnis alios locos Senecae expressit e. g. in Hymno: Oft klagt dein Herr etc. vs. 3 locum Senecae de Vita beata XV.

Deus tentat. Nunquam virtutis molle documentum est."

Iisdem sententiis utitur etiam auctor epistolae ad Hebraeos XII, 5—13: Τιέ μου, μὴ ὀλιγώρει παιδείας Κυρίου, ὃν γὰρ ἀγαπᾷ Κύριος, παιδεύει· μαστιγοῖ δὲ πάντα υἱὸν, ὃν παραδέχεται. Εἰ παιδείαν ὑπομένετε, ὡς υἱοῖς ὑμῖν προσφέρεται ὁ θεός. Τίς γάρ ἐστιν υἱὸς, ὃν οὐ παιδεύει πατήρ; Εἰ δὲ χωρὶς ἐστε παιδείας, ἧς μέτοχοι γεγόνασι πάντες, ἄρα νόθοι ἐστὲ καὶ οὐχ υἱοί κ. τ. λ. In hoc tantum differt auctor epistolae a Seneca, quod ille brevitati studet, sine multis ambagibus verborum sententias proponit, et tot fere sententias habet, quot verba; hic vero suo genio, ut solet, indulgens verbosior est et eandem sententiam repetita vice enucleat. Auctor epistolae ad Hebr. XII, ut ita dicam, simplex thema habet, Seneca vero hoc thema copiosissime variat.

Caeterum tanta inter caput XII epistolae nostrae et libellum de providentia convenientia extat, ut mirandum sit, quod Wetstenius, qui ex omnibus antiquitatis scriptoribus locos, convenientia aliqua cum effatis N. T. conspicuos, magna assiduitate collegit, ne verbo quidem convenientiae libri de providentia cum capite XII epistolae nostrae mentionem fecerit. Cfr. annotationes Wetstenii ad nostram epistolam Tom. II. Nec non a serioribus et recentioribus nostrae epistolae commentatoribus hujus convenientiae nullam mentionem esse factam animadverti. Quod quidem eo magis mirandum est, cum

IV. Auctor epistolae nostrae adeo nonnunquam *iisdem verbis utatur*, quibus Seneca utitur in isto libello.

Jam ex comparatione sententiarum singularum utriusque libelli in antecedentibus instituta cuilibet attento lectori apparebit, sententias istas non solum quoad sensum, sed etiam quoad verba plerumque convenire.

Verbis μὴ ἐκλύεσθαι respondent verba Senecae *in statu manere*, *rectum stare*; verbo παιδεύειν respondet *educare*; voci μαστιγοῦν, vox *verberare*; ὃν ἀγαπᾷ κύριος concordat cum Senecae verbis: *quos Deus amat, probat*; ἐπὶ τὸ συμφέρον, εἰς τὸ μεταλαβεῖν τῆς ἁγιότητος αὐτοῦ, cum verbis: *pro ipsis* (bonis) *sunt mala; ipsis consulit, quos quam honestissimos esse cupit Deus* (exercens eos); *calamitas virtutis occasio est*; vox γεγυμνασμένοι cum verbis *exercere*, *exercitare*, *exercitatio*; πατὴρ τῶν πνευμάτων, cum verbis *magnificus ille parens*, de qua re infra uberius dicetur (4); γόνατα παραλελυμένα ἀνορθοῦν, cum verbis: (vir bonus) *nulli malo cedit: sed si etiam ceciderit, de genu pugnat*; ἀγῶνα προκείμενον ἡμῖν τρέχειν δι' ὑπομονῆς, cum

---

(4) » Quid mirum, Seneca inquit, si dure generosos *spiritus* Deus tentat." Interpretes Senecae plerique vocem *spiritus* non ad *generosos* sed ad *Deus* referunt, ita ut non sit accusativus, sed nominativus et per appositionem voci *Deus* jungatur. *Spiritus generosi* sunt contra loquendi consuetudinem Latinorum: — sed Deus Spiritus recte dici potest et accommodate ad Stoicorum dogma:

Spiritus intus alit totumque infusa per artus
Mens agitat molem et magno se corpore miscet.

Virgil. Aeneid. VI, 726.

Hinc *magnificus ille parens* Senecae, qui *Spiritus* est *omnia permeans et procreans et sibi similia procreans*, τῷ πατρὶ τῶν πνευμάτων Hebr. XII, 9 respondere videtur. Sed plura infra.

certamine adversus mala nobis athletarum more instituendo, ut patientia ostendamus, quanta sit virtus, Sen. de Prov. 2, 4; vox ἀνταγωνιζόμενοι cum voce *colluctantes*; νόθοι cum *vernulis*, quorum licentia heros delectari dicit Seneca. Plerumque verba Hebr. XII, 7: Εἰ δὲ χωρίς ἐστε παιδείας, — ἄρα νόθοι ἐστὲ καὶ οὐχ υἱοὶ ita vertuntur: *Si castigationem non experimini, profecto spurii estis, nec veri nominis filii.* Sed solenne est Paulo et caeteris N. T. Scriptoribus τοῖς υἱοῖς opponere δουλοὺς, cfr. Gal. IV, 1—8; et in ἀλληγορουμένῳ vs. 22—31 de Abrahamo duos filios habente, alterum e Sara Isaäcum, alterum ex ancilla Hagare Ismaëlem, commemoratur, quod Ismaël deteriorem sortem quam Isaäcus expertus sit, non quatenus spurius, sed quatenus υἱὸς παιδίσκης fuerit. Voci νόθοι in hoc loco ergo inhaeret notio servilis conditionis, et νόθοι sunt *servi*, *vernulae*. Hoc sensu etiam Judaei Joh. VIII, 41 dicunt: Ἡμεῖς ἐκ πορνείας οὐ γεγεννήμεθα, si conferamus haec verba cum vs. 33, ubi dicunt: Σπέρμα Ἀβραάμ ἐσμεν, καὶ οὐδενὶ δεδουλεύκαμεν, et cum versu 34, ubi δοῦλος et υἱὸς sibi opponuntur. Cf. Boehme ad h. l. Porro in verbis: ὄγκον ἀποθέμενοι πάντα XII, 1, vox ὄγκος respondet *sarcinis* et *oneri*. Ita enim habet Seneca c. VI: « Nunquid hoc quoque a Deo aliquis exigit, ut bonorum virorum etiam *sarcinas* servet? Remittunt (non exigunt a Deo) ipsi hanc Deo curam. — Democritus divitias projecit, *onus illas bonae mentis* existimans" (5).

(5) Ὄγκος ab aliis vertitur *superbia* secundum Hesychium, qui ὄγκος explicat per φύσημα, ὑπερηφανεία, ἔπαρσις. Sed haec

Hebr. X, 34 alloquitur auctor Hebraeos: « Jacturam vestrorum bonorum cum gaudio excepistis, persuasi ἔχειν ἐν ἑαυτοῖς κρείττονα ὕπαρξιν καὶ μένουσαν." Seneca de Prov. 6. sic Deum ad viros bonos loquentem introducit: « Isti, quos pro felicibus aspicitis, si non, qua occurrunt, sed qua latent, videritis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti. Intus nihil est boni. Vobis dedi bona certa, *mansura*, et quanto magis versaveritis, *meliora* et majora.

Hebr. XIII, 7, Mors antistitum Christianorum, quorum fides imitanda Hebraeis proponitur, ἔκβασις dicitur. — Hac voce utitur etiam Seneca de Prov. II: « Mors illos consecrat, quorum *exitum* et, qui timent, laudant (6)."

CAPITIS PRIMI PARS SECUNDA ET TERTIA.

Convenientiam et cognationem inter epistolam ad Hebraeos et nonnulla scripta Senecae

Secundo in eo cerni dixi, quod auctor epistolae ad dogmata et decreta Stoicorum, quae in scriptis

---

explicatio contextui non convenit. Wahl significationem *onus* admittit et comprobat. Ita et Schulz et Böhme.

(6) Less, *über die Religion, ihre Geschichte, Wahl und Bestätigung*, T. I. p. 193. ita de hac convenientia epistolae ad Hebraeos cum libro Senecae de Providentia judicat: » Wenn diese Schrift wirklich von Seneca geschrieben und nicht interpolirt worden ist; so müsste er den Brief an die Hebräer gelesen haben. Denn man kann annehmen, daz ein Philosoph, der grösze lectüre besasz und in Rom lebte, wo eine Christengemeinde sich befand, und von Nero bemerkt würde, die Schriften dieser Gesellschaft gesehen habe. "

Senecae explicantur, vel per thesin, vel per antithesin alludit.

Tertio, quod interdum iisdem verbis, quibus Seneca aliique Stoici decreta sua notare solent, vel in eadem vel in alia re describenda utitur.

Has duas partes conjunctim secundum ordinem capitum et versuum epistolae ad Hebraeos tractabo. Utrumque enim saepius est arcte conjunctum, nec non ita lectio et dijudicatio mearum observationum lectori ordinem textus sequenti expeditior reddetur. A capite usque ad calcem igitur epistolam ad Hebraeos percurram, et, quae ad rem, quam probandam suscepi, idonea sunt, diligenter pertractabo.

Caput primum Epistolae ad Hebraeos.

Jam verba prima hujus capitis πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, quibus auctor varias Dei revelationes majoribus factas designat, ἅπαξ λεγόμενα in N. T. neque in Philonis scriptis conjunctim occurrentia (7), (Wetstenius certe nullum locum e Philonis scriptis protulit, quem profecto, si extaret, pro suo more, nostrae epistolae dicta cum Philonianis conferendi, prolaturus fuisset) meae sententiae suffragari videntur. Stoici enim his vocibus utuntur, cum de *materia* et *forma* rerum creatarum verba faciunt. Testis est Sextus Empiricus adv. Phys. lib. I, s. 119, p. 578, qui Stoicos ita disputare dicit: Ἐν παντὶ πο-

(7) Kuinoel errat, si in Comm. ad h. locum notat, in Philonis libro adversus Flaccum p. 974, has duas voces πολυμερῶς et πολυτρόπως conjunctim reperiri.

ἀμερεῖ σώματί ἐστι τὸ κυριεῦον, καθ' ὃ καὶ ἐφ' ἡμῶν μὲν ἡ ἐν καρδίᾳ, ἡ ἐν ἐγκεφαλῷ, ἢ ἐν ἄλλῳ τινὶ μέρει τοῦ σώματος. Ἐπὶ δὲ τῶν φυτῶν οὐ κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον, ἀλλὰ ἐφ' ὧν μὲν κατὰ ῥίζας, ἐφ' ὧν δὲ κατὰ τὴν κομὴν (in foliis); ἐφ' ὧν δὲ κατὰ τὸ ἐγκάρδιον (in medulla), ὥστε, ἐπεὶ καὶ ὁ κόσμος — πολυμερὴς καθεστὼς; εἴη ἂν τι ἐν αὐτῷ κυριεῦον (anima mundi vel Deus). Bengelius in Gnomone ad h. l. recte igitur mihi judicare videtur: « πολυμερῶς ad materiam, πολυτρόπως ad formam revelationis pertinet." Memorabile est, has duas voces *conjunctim* nusquam apud Graecos scriptores legi, certe hactenus non repertas esse, si excipias locum allatum et duo loca Maximi Tyrii, quae falso citata esse a Wetstenio deprehendi. Extant enim in Dissert. I, p. 7, edit. Heinsii, et Dissert. XXXVII, p. 363, quorum alterum, quoniam ad interpretationem versus primi aliquid conferre videtur, apponam: Τῇ τοῦ ἀνθρώπου ψυχῇ δύο ὀργάνων ὄντων πρὸς σύνεσιν, τοῦ μὲν ἁπλοῦ, ὃν καλοῦμεν νοῦν, τοῦ δὲ ποικίλου καὶ πολυμεροῦς καὶ πολυτρόπου, ἃς αἰσθήσεις καλοῦμεν, συνῆπται μὲν αὐτῶν ἡ ἐργασία, κεχώρισται δὲ ἡ οὐσία. Vocibus πολυμερὴς et πολύτροπος describitur hic αἴσθησις, ex multis partibus et modis oriens, visu, auditu etc. Auctor epistolae nostrae ergo sine dubio varias quoad argumentum et formam revelationes, quae majoribus Judaeorum contigerint, vocibus πολυμερῶς et πολυτρόπως indicare voluit.

Vs. 2. Leguntur haec: δι' οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν. Vox αἰῶνες significat *mundum*. Hoc contextus docet et Hebr. XI, 3, 4, ubi αἰῶνες opponuntur τοῖς βλεπομένοις. Cfr. Bertholdt *Einleitung* etc. Tomi VI, p. 2945. et Wahl *Clavis* p. 30. Paulus (*Mem*

morabilien P. VII, p. 198.) putat, plurâlem Graecum respondere duali Hebraico עוֹלָמִים et notare tempus ante et post Messiam, refutatus a Bertholdtio l. c. et aliis. Cum enim verba: *φέρων τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ* sine dubio ad *universitatem rerum* vel *mundum* referantur, *αἰῶνες* etiam de *mundo* intelligendi sunt. Sed unde haec *mundum* appellandi ratio? Stoici hunc mundum *αἰῶνας* vel *saecula* nominare soliti sunt, quia per saecula et periodos quasdam eum durare, deinde se renovare igne, sicut Phoenicem avem, putabant (8). Hinc et vocem *αἰὼν* in plurali usurparunt, quoniam secundum eorum opinionem plures sibi invicem successuri mundi existunt. Diogenes Laërt. IX, c. 1. n. 8. Heraclitum, quem Zeno et Stoici secuti sunt, statuisse perhibet: *Γεννᾶσθαι κόσμον ἐκ πυρὸς καὶ πάλιν ἐκπυροῦσθαι κατά τινας περιόδους ἐναλλὰξ τὸν σύμπαντα αἰῶνα.* Seneca saepius hujus dogmatis Stoici mentionem facit, e. g. Consol. ad Marc. cap. ult.: « Cum tempus advenerit, quo se renovaturus mundus extinguat, viribus ista suis se caedent, et sidera sideribus incurrent, et omni flagrante materia, uno igne quicquid nunc ex disposito lucet, ardebit." Grotium vox *αἰῶνες* in significatu mundi ita offendit, ut ideo etiam Paulinam originem epi-

(8) Fortasse hoc dogma Stoicorum aliorumque philosophorum Stoicis antiquiorum de mundi exustione et eam secutura renascentia mundi fabulae de Phoenice ave ansam suppeditavit. Hieronymus Epist. 69. ad Avitum T. II. p. 103. G. edit. Francof. Origeni errorem hunc objicit: » Asserit innumerabiles mundos, non juxta Epicurum uno tempore plurimos et sui similes, sed post alterius mundi finem alterius esse principium, et ante hunc mundum fuisse alium mundum, et post hunc alium fore, et caeteros post caeteros." Hoc fuit dogma Stoicum.

stolae nostrae neget. Verum est, in caeteris epistolis Paulinis hanc vocem hoc significatu non occurrere; locus 1 Tim. I, 17: Τῷ βασιλεῖ τῶν αἰώνων ἀφθάρτῳ τιμὴ καὶ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, quem Wahlius sub voce αἰὼν exempli loco pro significatu *mundi* citat, valde dubius est. Majori jure provocari potest ad Cohel. III, 15: « Quin etiam הָעֹלָם dedit in cor eorum hominum; » quae verba idem significare videntur, quod Paulus Rom. I, 19, 20. de Deo ex mundo cognoscendo dicit. LXX vertunt: τὸν αἰῶνα ἔδωκεν ἐν καρδίᾳ, Lutherus perobscure: « Gott lässt ihr Herz sich ängsten, wie es gehen soll in der Welt; » et rectius magis ad sensum versio Britannica: « he hath set *the world* in their heart. »

Vs. 3. Ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. Haec etiam verba redolent opiniones Stoicorum, qui statuerunt, animas rationales esse particulas animae mundi vel Dei, a Deo quasi avulsas, ἀποσπάσματα αἴθερος vel θεοῦ. Diog. Laërt. VIII, 28, Anton. V, 27. (9) Senec. epist. 120: « Mens Dei, ex qua pars in hoc pectus mortale defluxit. » Epist. 66: « Ratio nihil aliud est, quam in corpus humanum pars divini spiritus mersa. » Jam cum Stoici primam motricem omnium rerum causam putarent esse ignem, πῦρ τεχνικὸν, πνεῦμα πυροειδὲς seu Deus (Cfr. Diog. Laërt. VII, §. 148): quaelibet rationalis anima potest dici, quoniam est ἀπόσπασμα θεοῦ, ἀπαύγασμα, maxime vero is, qui

(9) Antoninus νοῦν καὶ λόγον ἐπάσου vocat ἀπόσπασμα θεοῦ. Arrianus *Epict.* I, 14.

ab auctore epistolae nostrae I, 6. dicitur πρωτότοκος ἐκ υἱὸς θεοῦ κατ' ἐξοχήν.

Vox δοξὴ notat hoc loco *lumen*, ut Kuinoel ostendit ad h. locum. Jesus ergo secundum auctorem epistolae est quasi *repercussa imago Dei*, qui Stoicis φῶς vel *ignis* est. Philo, placita Stoicorum in multis secutus, et in libro περὶ ἀποικίας Stoicos τοὺς ἄριστα φιλοσοφήσαντας vocans, in libello de Opif. mundi edit. Francof. p. 35, D, haec habet: Πᾶς ἄνθρωπος κατὰ μὲν διάνοιαν ὠφέλιται θείῳ λόγῳ, τῆς μακαρίας φύσεως ἐκμαγεῖον, ἢ ἀπόσπασμα ἢ ἀπαύγασμα γεγονώς. Auctor libri Sapientiae VII, 26. simile quid habet, sed eum etiam a placitis philosophorum Graecorum pendere, nota res est. Χαρακτὴρ ὑποστάσεως αὐτοῦ idem est quod ἀπαύγασμα τῆς δόξης θεοῦ, imago substantiae ejus πυροειδέως, φωτός. Cfr. Wahlius sub voce φῶς. 2.

Si velimus haec verba versus tertii ad morales, quas vocant, praerogativas et virtutes Jesu referre, Seneca nobis Epist. 41. locum parallelum, egregium et notatu dignissimum exhibet, ubi haec leguntur: « Bonus vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adjutus exsurgere? Ille dat consilia magnifica et erecta. In unoquoque virorum bonorum (quis Deus, incertum est) *habitat Deus*. — Animum excellentem, moderatum, omnia tamquam minora transeuntem, quicquid timemus optamusque ridentem, *coelestis potentia agitat*. — Majore sui parte illic est, unde descendit. Quemadmodum radii solis *contingunt quidem terram, sed ibi sunt, unde mittuntur*: sic *animus magnus* et *sacer* et in *hoc demissus*, ut propius divina nos-

semus, conversatur quidem nobiscum, sed haeret origini suae."

Sed lubenter largior, in hoc versu non de morali sed de physica eminentia Jesu sermonem esse, auctoremque ante oculos habuisse quodammodo istum a Judaicis et Christianis et Ethnicis doctoribus et philosophis multum jactatum et laudatum λόγον, qui δημιουργὸς vel *factitator mundi* fuerit, coaeternus cum Deo et a Deo secundus. Hoc dogma de λόγῳ multum quidem in Philonis scriptis tractatur; cfr. Grosamanni *Quaestiones Philoneae*, pars altera, C; sed inde non sequitur, auctorem epistolae nostrae fuisse Philonianae vel Alexandrinae theologiae alumnum vel Alexandrinum (10). Dogma istud perfrequenter tractatur etiam in scriptis Ethnicorum, e. g. in Senecae Consolatione ad Helviam Cap. VIII, ubi haec leguntur: « Id actum est ab illo, quisquis formator universi fuit, sive ille Deus est potens omnium, *sive incorporalis ratio*, *ingentium operum artifex*, sive divinus spiritus per omnia maxima minima aequali intentione diffusus, sive fatum et immutabilis causarum inter se cohaerentium series, id, inquam, actum est, ut in alienum arbitrium, nisi vilissima quaeque, non caderent." Anton. Lib. VI. §. 1: Τὴν τῶν ὅλων οὐσίαν διοικεῖ λόγος· πάντα κατ' ἐκεῖνον γίνεται καὶ περαίνεται.

Alia vero de Jesu eminentiore natura secundum istud dogma in epistola ad Hebraeos tradi, ac in cae-

(10) Auctor potuit legere Philonis scripta, vel scripta aliorum Philoneis antiquiora, in quibus λογολογία tractatur. Sunt ejus vestigia etiam in V. T. et Apocryphis.

teris epistolis Paulinis, et majorem illi dignitatem tribui quam in his; equidem non video, quamquam nonnulli ita volunt. Vocatur κληρονόμος πάντων, i. e. non dominus absolutus omnium, sed qui dominium et possessionem omnium ab alio accepit; vocatur πρωτότοκος, I, 6. υἱὸς, ibid.; praestantior angelis; πιστὸς ὢν τῷ ποιήσαντι αὐτὸν, III, 2; διὰ παθημάτων τελειωθεὶς, II, 10; διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφανωμένος, ibid.; immo ἀπόστολος III, 1, ante suam incarnationem quidem inde a primordiis mundi existens, sed κτισθεὶς et suo tempore missus in has terras, ut ad exequenda consilia Dei per aliquod tempus inter homines hospitaretur (11), et peractis mandatis gloria auctus ad Deum rediret et cum eo regnaret. Sic etiam in caeteris epistolis Paulinis locus de sublimiore Christi natura tractatur 1 Cor. XV, 27, 28. Col. I, 15—17. Nullum vero prorsus vestigium dogmatis de λόγῳ in Paulinis epistolis occurrere, et Paulum in demonstranda sublimiori natura Jesu totum e Pharisaeorum doctrina de Messia pendere, quod vult Bertholdt *Einleitung*, p. 2942, mihi non persuadere possum. Immo doctrina Pharisaeorum et doctorum Judaicorum de dignitate Messiae, quae temporibus Jesu et apostolorum invaluit, multum dogmati de λόγῳ debere mihi videtur.

Vs. 5. Καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν. Lubens concedo, his verbis ad expiatorium munus Jesu, morte peractum, respici. Sed cum auctor epistolae nostrae saepenumero loquatur de καθαροῖς,

(11) Seneca epist. 31: » Quid aliud voces animum, quam Deum in corpore humano hospitantem?"

καθαριζομένοις, καθαρισμῷ, καθαρότητι, necnon de τελείοις, τετελειωμένοις, τελείωσι, τελειότητι, τελειωτῇ, Hebr. V, 14; VI, 1; VII, 19—28; XII, 2; non temere statuitur, illum ad Stoicorum κάθαρσιν et τελειότητα respexisse. *Purgationem* enim et *perfectionem* omnis philosophiae esse finem, Stoici putabant, et philosophiam ita describebant: Φιλοσοφία ἐστὶν ζωῆς ἀνθρωπίνης κάθαρσις καὶ τελειότης. Κάθαρσις est, qua purgamur, ἀπὸ ὑλικῆς ἀλογίας καὶ τοῦ θνητοειδοῦς σώματος. Τελειότης est τῆς εὐζωΐας οἰκείας ἀνάληψις πρὸς τὴν θείαν ὁμοίωσιν ἀνάγουσα. Κάθαρσις est initium, τελειότης consummatio sapientiae: cfr. Salmasius *in Epictetum et Simplicium* pag. 13 sqq. Eadem docet Seneca passim in suis scriptis, e. g. Ep. 95: « Nihil proderit dare praecepta, nisi prius amoveris obstantia praeceptis — rubigo animorum diu effricanda est (12)."

Quae sequuntur a vs. 4—14 de dignitate Jesu angelis multo superiori, in iis sequitur pressius auctor scripturam V. T., quippe ad Christianos ex Judaeis scribens, et nonnullos locos V. T. citat, in quibus de angelis eorumque natura sermo est, et in quibus vaticinia de futuro Messia inesse putabantur. Cum vero angelos vs. 14 vocat πνεύματα λειτουργικὰ εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν, in iis non modo cum Stoicis consentit, sed etiam ad eorum dogmata alludere videtur. Vocat angelos verbo ἅπαξ λεγομένῳ λειτουργικὰ πνεύματα. Sic et Stoici

(12) De Wette peculiare quid inesse vocibus τέλειος etc. sensit, haec notans (*Einleitung ins N. T.* p. 290): » Die Idee der sittlichen Vollendung Christi ist eigenthümlich, so wie auch der Christlichen τελείωσις überhaupt. "

loquebantur. Diogenes Laërt. VII, cap. I, n. 79: Φασὶ (Stoici) εἶναι καί τινας δαίμονας, ἀνθρώπων συμπάθειαν ἔχοντας, ἐπόπτας τῶν ἀνθρωπείων πραγμάτων. Seneca in Epistola 110: « Sepone in praesentia, quae quibusdam placent; unicuique *paedagogum* dari Deum, non quidem ordinarium, sed hunc inferioris notae, ex eorum numero, quos Ovidius ait de plebe Deos. Ita tamen hoc seponas volo, ut memineris, majores nostros, qui crediderunt hoc, Stoicos fuisse; singulis enim et genium et Junonem dederunt." (15). Quin immo vox *angelus* in Seneca occurrit in Epist. 20: « Multum est, non corrumpi divitiarum contubernio. Magnus est ille, qui in divitiis pauper est; sed securior, qui caret divitiis. Nescio, inquis, quomodo iste paupertatem laturus sit, si in illam inciderit. Nec ego *Epicuri angelus* scio, an pauper iste contemturus sit divitias, si in illas inciderit." Haec loquendi formula *alicujus esse angelum* et vox *angelus* nusquam apud scriptores Romanos profanos occurrit. Hinc nonnullis Senecae commentatoribus suspecta esse videtur, sed nulla ex alia causa, quam ob ejus insolentiam. Lipsius legere vult: « Nec scio, inquit Epicurus, si iste pauper etc." Alii legere volunt, pro *angelus*, *amiculus*; alii *inquilinus*. Sed omnes Codices habent *angelus*. Ruhkopf, recentissimus Senecae editor, defendit receptam lectionem. « Opinor, inquit, emendatione hunc lo-

(15) Viris genium, feminis Junonem. Conjunctio *et* hoc loco disjunctivam vim habet. Multa de Stoicorum geniis refert etiam Augustinus ex libro Varronis deperdito de Civit. Dei VII, 6. Cfr. Lipsius *Phys. Stoic.* L. I. diss. 18. p. 48 sqq.

tum non egere." Sensus est expeditus. Dicere vult Seneca: Nec ego, qui tibi toties in epistolis meis dicta Epicuri annuntio etc. Sed cur se hoc loco et nullo alio *angelum Epicuri* vocet, ejus rei causa dubia est, et fortasse in notitia aliqua, quam Seneca de daemonologia Judaica vel Christiana habuit, quaerenda (14).

Ad versus 10—12. observatu dignum est, quod auctor epistolae nostrae multa loca V. T. citans ad probandam Jesu dignitatem ipsis angelis superiorem, ad locum Psalmi CII provocet, in quo ne minimum quidem vestigium vaticinii de Messia extat, et in quo nullus Judaicus doctor Messiani quid deprehendit, qui vero accommodatissimus est ad dogma Stoicorum de destructione hujus mundi aliquando futura. Sermo enim est in illo loco de Deo aeterno et de ejus in aeternum duratura vita, quae opponitur mundo corruptioni obnoxio. « Tu, inquit Psalmi auctor, ab initio terram fundasti, tuarumque manuum opera extant coeli; illi quidem interituri sunt; tu vero permanes; omnes veterascent vestimenti instar et velut pallium tu eos convolves, et ita permutabuntur et destruentur. Tu vero semper idem es, neque anni tui unquam cessabunt. »

---

(14) Ex eadem causa Maximus Tyrius in Dissertatione I. pag. 78. edit. Heins. Platonem *angelum* ex Academia nominasse videtur. Postquam exposuerat, quomodo Plato Deum describat, addit: *Τοῦτον μὲν δὴ ὁ ἐξ ἀκαδημίας ἡμῖν ἄγγελος διδασκει πατέρα καὶ γεννητὴν τοῦ ξύμπαντος.* Fortasse ex loco Senecae explicari potest ἄγγελος Satanae 2 Cor. XII, 7 ut sit angelus Epicuri, philosophus e secta Epicuri, Paulo et Christianae religioni negotium facessens. Disputat enim Paulus contra Epicureos 1 Cor. XV, 32.

Auctor epistolae supra vs. 2 dicens, per υἱὸν θεοῦ vel Messiam mundum factum esse, contendit, de Messia idem valere, quod in Psalmo CII de Deo aeterno dicitur. Sed cum multa alia vestigia dogmatis de destructione mundi aliquando futura in hac epistola extent, quae suo loco notabuntur; non temere statuitur, auctorem in citando potissimum illo Davidis loco ad istud dogma respexisse. Seneca de hoc dogmate ita loquitur Epist. 71: « Quid enim mutationis periculo exceptum? Non terra, non coelum, non totus hic rerum omnium contextus, quamvis Deo agente ducatur; non semper tenebit hunc ordinem: sed illum ex hoc cursu aliquis dies dejiciet. Certis eunt cuncta temporibus; nasci debent, crescere, extingui. Quaecunque vides supra nos currere, et haec, quibus innixi atque impositi sumus veluti solidissimis, carpentur ac desinent. Nulli non senectus sua. »

Notandum etiam est, vocem ἀλλάττεσθαι, quae in loco Psalmi occurrit, physiologiae Stoicorum optime convenire et propriam esse, quippe qui contra Epicureos omnes res creatas transmutatione fieri, ergo etiam interire contendebant. Cfr. Tiedemann *Geist der speculativen Philosophie*, T. II. p. 445. Obiter hic notare velim, hunc locum Psalmi ab auctore citatum non bene convenire opinioni eorum, qui eum Philonianae theologiae alumnum faciunt, cum Philo librum peculiarem de ἀφθαρσίᾳ mundi scripserit, in quo destructio mundi olim futura negatur.

Caput secundum.

In versu 5 vox *οἰκουμένη μέλλουσα*, quam auctor non angelis, sed Messiae subjectam esse a Deo contendit, et quae vulgo de aevo Messiano עוֹלָם הַבָּא explicatur, occasionem suppeditat, plura addendi, ad ea, quae in fine praecedentis capitis dixi, et quae dixi, comprobandi. Bertholdt in *Christologia Judaeorum* etc. p. 58. voces *αἰὼν μέλλων* et *οἰκουμένη μέλλουσα* pro synonymis habet, et utramque vocem respondere Rabbinico עוֹלָם הַבָּא contendit, idque faciunt alii etiam N. T. interpretes, nimium Talmudicis scriptis in interpretando N. T. tribuentes. Negari nequit, Jesum et Apostolos, cum Judaei fuerint et inter Judaeos vixerint, non alienos fuisse ab his loquendi formulis, quibus Talmudistae et Judaeorum doctores in scriptis suis usi sunt, et hinc multa loca N. T. illustrari posse. Sed multi in eo nimii fuerunt, et lectitandis Talmudistarum pandectis immersi et studio ex iis N. T. interpretandi abrepti, ubique vestigia Rabbinicae theologiae in N. T. deprehendere sibi visi sunt, in iis etiam locis, quae ex aliis causis multo expeditiorem interpretationem admittunt.

Quod jam Lightfootio in *Horis Hebraicis et Talmudicis* accidisse, Carpzovius editor hujus libri in epistola dedicatoria notat et vituperat, id etiam recentioribus ejusque vestigia secutis interpretibus N. T., nominatim Bertholdtio in *Christologia Judaeorum* accidisse videtur. Hic vocem *οἰκουμένη μέλλουσα*, quae hoc tantum loco in N. T. reperitur, pro synonymo cum *αἰὼν μέλλων* et Rabbinico עוֹלָם הַבָּא

habens, nullum locum e Rabbinicis scriptis profert; quo hoc comprobare possit; quamvis alias non parcus sit in citandis Rabbinorum scriptis. Schulzius ad versionem hujus epistolae pag. 163 recte notat: « οἰκουμένη, die geschaffene, bewohnte, sichtbare Welt, (Erde und Himmel); welche vergehen wird, im gegensatz der überirdischen, unsichtbaren Welt und Haushaltung Gottes, welche nach dem untergange jener fortbesteht." Nec non in Prolegomenis ad hanc epistolam, pag. 91: « Tritt die συντέλεια τῶν αἰώνων ein, so geht die gesammtheit alles Irdischen zu Grunde, und zwar, wie aus Stellen des A. T. vom Verfasser des Briefes an die Hebräer geschlossen wird (15), durch Feuerzerstörung, der sichtbare Himmel, oder die mehrern Himmel die der Verfasser annimmt, eben sowohl als die Erde, I, 11; IV, 14; XII, 27—30; X, 27; VI, 8; VIII, 13; XIII, 14. diesem gegenüber setzt der Verfasser etwas bleibendes, unvergängliches IV, 14; VII, 26 etc., an welchem die Frommen Antheil nehmen." Οἰκουμένη μέλλουσα ergo refertur ad novos coelos novamque terram ex ruinis hujus mundi igne vastati orituram, ad πολιν μέλλουσαν Hebr. XIII, 14, beatorum domicilium; ad dogma Petrinum 2 Petr. III, 10—13 de hujus mundi destructione deque novo mundo ex ruinis ejus orituro, in quo justitia habitat; ad dogma de combustione hujus mundi et renascentia et transformatione in melius, de quo Stoici et

(15) Ejusmodi loca esse putant Ps. CII, 27 sqq.; Jes. XXXIV, 4; LXV, 17; LXVI, 22.

Seneca multa loquuntur. Praeter locum jam supra allatum, Seneca in Natural. Quaest. III, 28 de hoc dogmate loquitur: « Aqua et ignis terrenis dominantur. Ex his ortus, ex his interitus est. Ergo quandoque placuere res novae mundo, sic in nos mare emittitur desuper, ut fervor ignis cum aliud exitii genus placuit." c. 29: « Ergo quandoque erit terminus rebus humanis, cum partes ejus interire debuerint, abolerive funditus totae, ut de integro totae, rudes innoxiaeque generentur, nec supersit in deteriora magister etc." c. 30: (peracta hujus terrae destructione) « antiquus ordo revocabitur — dabiturque terris homo inscius scelerum, et melioribus auspiciis natus."

Ad hoc dogma Stoicum etiam alii loci epistolae nostrae alludunt, e. g. XII, 27: Τὸ δὲ ἔτι ἅπαξ δηλοῖ τῶν σαλευομένων τὴν μετάθεσιν ὡς πεποιημένων (alii legunt πεπονημένων, quae vox idem notat ac παλαιούμενα, γηράσκοντα VIII, 13), ἵνα μείνῃ τὰ μὴ σαλευόμενα. Non sermo est de abolenda oeconomia Mosaica, et ejus loco constituendo regno Christi ἀσαλεύτῳ per se, sed quatenus cum eo conjuncta esse putatur destructio hujus mundi ejusque ἀποκατάστασις, παλιγγενεσία, mundi melioris origo et status. Huc spectant loci, in quibus ultricis flammae et ignis omnia consumentis mentio fit, e. g. VI, 8; X, 27; inprimis locus XII, 29, ubi Deus dicitur πῦρ καταναλίσκον. Observatu enim dignum est, quod Stoici de conflagratione mundi loquentes, ejusque causam Deo tamquam naturae igneae, πνεύματι πυροειδεῖ tribuentes, de eo dicant: Θεός ἐστιν ἀναλίσκων εἰς ἑαυτὸν ἅπασαν οὐσίαν. Cfr. Li-

psius *Physiol. Stoic.* II, 22 (16); quamquam non negaverim, auctorem epistolae nostrae, dum Deum ignem consumentem vocat, ad Deuter. IX, 3 respicere potuisse —. Ne cogar, quae nunc exposui, infra repetere, interpretationem loci VI, 5 ob cognatum argumentum hic adjungam. Δυνάμεις μέλλοντος αἰῶνος, quae hoc loco commemorantur, sunt idem, quod δυνάμεις οἰκουμένης μελλούσης, id est, virtutes et praerogativae mundi melioris olim a Deo condendi et vitae ab omnibus aerumnis et doloribus immunis et omni felicitatis genere affluentis ibi transigendae. Γεύσασθαι has δυνάμεις delibare, animo praesentire, sperando occupare. Bengelius in Gnomone N. T. ad vocem δυνάμεις annotat: « plurale grande. Sapidissimae nempe sunt praerogativae futurae civitatis coelestis, quas qui semel sperando degustavit, is vix ἀποστασίας capax erit, et si nihilominus tamen crimen hoc admittit, vix ac ne vix quidem (ἀδύνατον) ad meliorem frugem revertetur, et ita jacturam aeternae felicitatis in coelis faciet."

Notum est, δυνάμεις μέλλοντος αἰῶνος vulgo explicari de donis miraculosis tempore regni Messiani asseclis ejus exhibitis, vel etiam de viribus regni Messiani עוֹלָם הַבָּא, ita ut gustare vires regni Messiani sit: experiri, quid religio Christiana possit. Sed hic etiam recentiores interpretes Rabbinico dogmati de mundo hoc et futuro, vel de tempore ante et post Messiam natum, nimium tribuisse videntur. Non satis

(16) Diog. Laërt. VIII, 138. Deus Stoicis est ignea natura vel ignis ipse et aether.

idonea causa adest, cur formulae *αἰὼν μέλλων* significationem vitae futurae in altero eoque meliori mundo transigendae denegemus, cum hoc dogma in omnibus fere paginis S. S. doceatur. Ipse Lightfootius *in Horis Hebr. et Talm.* p. 551. contendit, in communem usum apud Judaicos doctores receptas esse quasdam phraseologias, quibus contrairetur haeresi Sadducaeorum alteram vitam negantium, ejusmodi esse עוֹלָם הַבָּא, גַּן עֵדֶן etc. Locum citat ex Talmudistis hujus argumenti: « Ad finem omnium orationem in templo dixerunt עַד עוֹלָם *in seculum;* cum vero irrumperent haeretici et dicerent, non esse saeculum nisi unum; statutum est, ut diceretur *a saeculo in saeculum.*" Nec non Targum in Ruth II, 15: « Retribuat tibi Dominus retributionem bonam pro opere tuo bono in hoc mundo, et sit praemium perfectum in mundo futuro." Lightfootius deinde addit: « עוֹלָם הַבָּא duo praecipue innuit: 1) tempora Messiae; 2) statum post mortem." Pro altera significatione locus Rabbinicus profertur hujus argumenti: « Mundus futurus est, cum jam homo exiit ex hoc mundo." Jesus ipse dicit Matth. XII, 32: peccatum in Spiritum Sanctum *οὐκ ἀφεθήσεται αὐτῷ, οὔτε ἐν τούτῳ τῷ αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι.* Quisque facile intelligit, hoc loco non sermonem esse de oeconomia Judaica ante Messiam et subsequente statu mundi novo per evangelium ejusque auctorem Jesum Messiam facto, sed de hac terrestri et altera vita in altero mundo transigenda. Non video, cur non etiam in aliis locis N. T., et nominatim epistolae ad Hebraeos, voces *αἰὼν μέλλων* et *οἰκουμένη μέλλουσα*

de altera vita in altero mundo hunc destructum olim subsecuturo interpretari velimus, praesertim cum Jesus toties de hac vita altera in altero mundo transigenda verba faciat et huic dogmati tantum momenti in sua doctrina tribuat. Non video cur has voces eorumque sensum ad Rabbinicam loquendi rationem detorqueamus, et sub conflagraturis hujus mundi elementis Mosaicae religionis et reipublicae elementa, et sub novis coelis et novo mundo novam creationem mundi evangelici per Jesum Messiam intelligere velimus. Koppius in Excursu I. ad Epistolam Pauli ad Ephes. totam hanc disceptationem de vocibus *αἰὼν οὗτος* et *αἰὼν μέλλων* optime mihi dijudicasse videtur. Ejus verba sunt p. 390: « Apparet, loca scriptorum Judaicorum non talia esse, unde pro notione formulae עוֹלָם הַבָּא ea, qua tempora gloriosum Messiae reditum praegressura significari existimantur, quicquam subtili quadam ratione deduci possit. Restat igitur, ut loca ipsa N. T. consulamus. — Et hic quidem *primum* nemo interpretum diffitetur, in plerisque locis certas esse significationes eas, quibus *αἰὼν μέλλων* vel *vita aeterna*, vel *initia ejus cum ipso solenni reditu Messiae conjuncta*; *αἰὼν οὗτος* vero *vita haec nostra*, qualem etiamnum nos omnes, Christiani et Nonchristiani, in his terris gerimus, est intelligenda, Matth. XXVIII, 20; Marc. X, 30; Luc. XX, 34; Matth. XIII, 22, 24, 5; Rom. XII, 2; 1 Cor. I, 20; II, 6, 8; III, 18; 2 Cor. IV, 4; 1 Tim. VI, 1; 2 Tim. IV, 10; Tit. II, 12. Jam vero *deinde* ab hoc sensu certo recedendum, et ad illum alterum de V. et N. T. oeconomia transferenda formula videtur interpreti-

bus fere omnibus: Matth. XIII, 39, 40, 49. et Hebr. VI, 5; quo jure, disputabitur ad loca ipsa; hoc loco tantum sumimus hoc, quod omnes largituros nobis esse, confidimus; *posse* saltem, partim ex linguae rationibus, partim ex istorum locorum contextu, significationem hujus formulae vulgarem etiam ad *haec ipsa loca* transferri, ut loco Matthaei tempora Messiae ea, quibus ad retribuendum probis et improbis olim rediturus est Jesus Christus, intelligantur; loci vero Paulini (Paulum enim pro auctore epistolae ad Hebraeos habet) sensus ita constituatur: Qui jam in his terris, ex quo Christiani facti sunt, degustarunt quodammodo et senserunt ipsi, quanta olim felicitas parata sit Christianis in regno Messiae.

Quodsi igitur in locis plerisque N. T. vulgarem formularum *αἰὼν οὗτος* et *μέλλων* significationem amplectendam *necessario* esse, omni dubitatione caret; loca caetera vero ambigua secundum eundem sensum non incommode intelligi et explicari saltem *posse*, concedi debet; non video profecto, cur in his paucis locis, relicto usu loquendi communi et certo, descendere velimus ad sensum alium, et eum quidem ejusmodi, quem nec usu loquendi Graeco, nec Judaico, si rationes paulo accuratius inire velis, confirmari ullo modo posse apparet." Haec hactenus Koppius. Hujus viri auctoritate et rationibus ab illo et a me supra prolatis nixus, voces *οἰκουμένη μέλλουσα* et *αἰὼν μέλλων* ad *καινοὺς οὐρανοὺς* et *γῆν καινὴν* 2 Petr. III, 13. vel ad mundi alterius statum meliorem et *ἀσάλευτον*, *τὴν ἐκπύρωσιν* et *μετάθεσιν τῶν σαλευομένων* subsecuturum, et vitam alteram in eo transigendam refero, et in his, sicut in loco 2 Petr.

III, 10—13 (17) alludi ad Stoicorum placita contendo. Caeterum verba versus 5: *οὐ γὰρ ἀγγέλοις τὴν οἰκουμένην μέλλουσαν ὑπέταξε* ex Alexandrina versione Deuter. XXXII, 8. explicanda esse videntur, ubi haec leguntur: *Ὅτε διεμέριζεν ὁ ὕψιστος ἔθνη, ὡς διέσπειρεν υἱοὺς Ἀδάμ, ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων θεοῦ*, ita ut auctorem dicere voluisse hoc statuamus: Hunc mundum quidem dominio angelorum subjecit, eumque inter eos divisit, futurum vero soli Christo, *κληρονόμῳ πάντων, διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφανωμένῳ*. cfr. Phil. II, 6—11. Non obstat diuturnum tempus, quo regnum Christi jam in hac terra vel hoc mundo duravit; prope enim instantem reditum Christi ad *βασιλείαν τῶν οὐρανῶν* condendam et initium futuri mundi cogitabant apostoli.

Ad versus 6—8. Locus e Psalmo VIII citatus et ad Christum accommodatus, in quo Davides praerogati-

---

(17) Multi non temere inter epistolam posteriorem Petri et nostram nexum quendam animadvertere voluerunt, contendentes 2 Petr. III, 16. auctorem respexisse ad epistolam ad Hebraeos et ad ea, quae in hac epistola de mundo futuro et vita altera dicta sint, immo hinc originem hujus epistolae Paulinam asseri posse. Ita enim Hofmannus ad Pritii Introductionem, Spanhemium secutus, ratiocinatur pag. 47: » Perhibet Petrus, Paulum ad eos scripsisse, ad quos Petrus tunc scribebat, nimirum ad Hebraeos hinc inde dispersos. Haec epistola a caeteris Paulinis distinguitur: Ergo aut periit, aut superest: si periit, doce, eam periisse, sed de hac jactura neque volam apud antiquitatem reperies. Ergo superest. Si superest, aut haec est, quam tenemus, aut alia. Si alia, aut profer eandem, quod est impossibile, aut doce, aliam olim extitisse, id quod denuo impossibile. Igitur eadem illa est, quam nunc sub rubro ad Hebraeos in N. T. legimus." Sed haec incerta sunt; demonstrari enim nequit, quod de hac epistola Petrus loquatur.

vas hominis prae caeteris animalibus ejusque generosiorem indolem describit, ita concordat cum loco Senecae de Benef. II, 39, ut operae pretium esse videatur, hunc cum illo comparare. Verba Senecae sunt: «Cogita, quanta nobis tribuerit parens noster, quanto nobis valentiora animalia sub jugum miserimus, quanto velociora consequamur, quam nihil sit mortale, non sub ictu nostro positum. Tot virtutes accepimus, tot artes, animum denique, cui nihil non eodem, quo intendit, momento pervium est, sideribus velociorem, quorum post multa saecula futuros cursus antecedit. — Bene aestimata naturae indulgentia, confitearis necesse est, in deliciis te illi fuisse. Ita est: carissimos nos habuerunt Dii immortales, et qui maximus tribui honos potuit, ab ipsis proximos collocaverunt. Magna accepimus, majora non cepimus." Cfr. de Benef. VI, 23, qui locus etiam lectu dignissimus est.

Ad vs. 9: Ὅπως χάριτι θεοῦ ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου. Primo quidem notandum est, *lectionem* in textum receptam χάριτι θεοῦ valde *suspectam* eique lectionem χωρὶς θεοῦ esse praeferendam (18). Lectio χωρὶς θεοῦ est enim antiquissima. Veteres nonnullos codices ita legisse testatur Origenes, qui Tom. I. in Johann. p. 38. E. de Christo loquens, χωρὶς γὰρ θεοῦ, inquit, ὑπὲρ παντὸς ἐγεύσατο θανάτου, ὅπερ ἔν τισι κεῖ-

(18) Michaëlis putat variam hanc lectionem ortam esse ex idiomatis Hebraei, quo scripta sit epistola, falsa versione, ibi scriptum fuisse בְּחַסַּר, et hoc ab interprete mutatum esse in כְּחַסַּר χωρίς. Sed falso statuit, originalem textum Ep. ad Hebr. fuisse Hebraicum.

ται τῆς πρὸς Ἑβραίους ἀντιγράφους, χάριτι θεοῦ. Utramque lectionem habet etiam T. III. in Joh. p. 562, ubi hunc locum ita allegat: ὅπως χάριτι ἡ χωρὶς θεοῦ ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου. Cum ergo Origenes fluctuet, utram lectionem eligat; patet, lectionem χωρὶς θεοῦ esse antiquissimam. Immo ex priore Origenis loco haec lectio usitatior quam altera fuisse videtur. Lectionem χωρὶς θεοῦ sequitur Ambrosius in libris de Fide Lib. II, 4, Theodoretus in Epist. ad Hebr. et alii. Perperam Oecumenius et Theophylactus in Commentariis in Epist. ad Hebraeos putant, Nestorio ejusque asseclis hanc lectionem debere originem, eosque χάριτι θεοῦ in χωρὶς θεοῦ mutasse et ita S. S. adulterasse, ut probarent, duos esse Christos, unum passibilem, alterum pati nescium; lectio enim ista antiquior est Nestorio. Codices quidem et Versiones pleraeque adversantur lectioni χωρὶς θεοῦ, sed auctoritas Origenis praestat omnibus codicibus, qui Origene juniores sunt. Cfr. Bengelii *Gnomon* ad h. l.

Porro lectio χωρὶς θεοῦ est *difficilior*, et ideo secundum regulas criticas praeferenda. Interpretes antiquiores nescii, quomodo verba: χωρὶς θεοῦ ὑπὲρ παντὸς ἐγεύσατο θανάτου interpretarentur, lectionem faciliorem χάριτι θεοῦ praetulerunt. Atque profecto lectio χωρὶς θεοῦ intellectu difficilior est, quod patet ex magna diversitate interpretationum, quos patroni istius proposuerunt.

Deinde *facilius* χωρὶς in χάριτι, quam χάριτι in χωρὶς librariorum sedulitas, planiora omnia quaerens, mutavit. Nec non notandum est, particulam

χωρὶς auctori epistolae ad Hebraeos *valde usitatam* esse et trecies in illa occurrere.

Denique *contextus etiam* respuit lectionem χάριτι θεοῦ. In antecedentibus enim legitur. « Videmus eum, qui paullulum infra angelos fuit depressus, per πάθημα mortis gloria ac honore ornatum, ut gratia Dei pro omnibus mortem gustaret." Quomodo haec duo inter se cohaerent: Jesus *ob* vel *per* passionem mortis gloria et honore ornatus est, ut *gratia Dei* pro omni vel omnibus mortem gustaret? Jesus quidem dici potest paullulum infra angelos ἠλαττωμένος, ad humanam sortem dejectus, ut mortem pateretur; non vero dici potest ornatus gloria et honore eo consilio, ut gratia Dei mortem gustaret. Legendum ergo censeo χωρὶς θεοῦ, et ita hunc locum interpretor: Jesus ob passionem mortis gloria et honore coronatus est, ita ut, *excepto Deo*, pro omni (universi causa, dominium in universum acquirendi causa) mortem gustaret. Conjunctionem ὅπως, sicut ἵνα Apoc. XIII, 13. pro ὥστε sumi, ex locis a Bretschneidero citatis Luc. II, 35. Act. III, 19. Matth. XXIII, 35 etc. verisimile est; χωρὶς habere significationem *praeter*, *excepto*, patet ex IV, 15: πεπειρασμένος κατὰ πάντα, χωρὶς ἁμαρτίας, et ex aliis locis a Wahlio citatis; παντὸς, quemadmodum πάντα vs. 8 et 10 neutrum est. Vox enim παντὸς, παντὶ sine substantivo vel participio positum semper neutrum est: cfr. 2 Cor. XI, 6; Marc. IX, 49. Neutrum παντὸς sine articulo saepe apud scriptores Graecos occurrit, e. g. in notissima illa Hesiodi sententia: πλέον ἥμισυ παντός. Sextus Empir. adv. Phys. Lib. I. p. 615. caput habet, quod inscriptum est περὶ ὅλου

καὶ μέρους. in eoque legitur: Οἱ μὲν ἀπὸ τῆς στοᾶς φιλόσοφοι διαφέρειν ὑπολαμβάνουσι τὸ ὅλον καὶ τὸ πᾶν. Ὅλον μὲν γὰρ εἶναι λέγουσι τὸν κόσμον, πᾶν δὲ τὸ σὺν τῷ κόσμῳ ἔξωθεν κενόν. Καὶ διὰ τοῦτο τὸ μὲν ὅλον πεπερασμένον εἶναι, πεπέρασται γὰρ ὁ κόσμος. Τὸ δὲ πᾶν ἄπειρον· τοιοῦτον γὰρ τὸ ἐκτὸς τοῦ κόσμου κενόν. Ex hoc loco patet, neutrum singulare adjectivorum substantive sumtum *cum* et *sine* articulo legi, inprimis neutrum singulare ὅλον, cui respondet πᾶν. Adjiciam Diogenem Laërtium, qui Lib. VII, 153. tradit, Zenonem scripsisse librum περὶ ὅλου. Ab eodem scriptore ἡγεμονικὸν etiam sine articulo ponitur VII, 159, cfr. 90. edit. Lips. 1759. Porro ὑπὲρ παντὸς significat *um alles*, non *für alles*; ὑπὲρ significat hoc loco rem consequendam, ut Joh. XI, 4; 2 Cor. I, 6; XII, 8; 19; 2 Thess. I, 5. Mortem gustavit *pro omni*, i. e. ut *omne* sibi vindicaret, ut dominium in omne sibi acquireret, sive pro eo, ut ipsi contingeret, quod scriptum est: *Omne* posuisti sub pedes ejus, ut fieret κληρονόμος universi. *Omne illud* habet exceptionem. Paulus 1 Cor. XV, 27. eundem Psalmum, eundem versum, eandem voculam tractans כל *omne*, adjicit δῆλον, ὅτι ἐκτὸς τοῦ ὑποτάξαντος αὐτῷ τὰ πάντα. Eadem exceptio hoc loco ponitur verbis χωρὶς θεοῦ ὑπὲρ παντός. Cfr. Bengel in Gnomone ad hunc locum, qui addit: « Decenter exceptio ipsi rei, de qua fit exceptio praemittitur." Extat etiam lectu digna tractatiuncula de hoc loco in Opusculis Ittigii p. 57—149.

Jam si hanc hujus loci interpretationem, quae multis iisque gravissimis argumentis commendatur, admittamus; verisimile fit, auctorem nostrae epistolae

lae ad τὸ πᾶν Stoicorum per antithesin respexisse. Τὸ πᾶν Stoicorum complectebatur enim non solum mundum sed etiam Deum; Seneca epist. 64: « Universa constant ex materia et Deo." Deum partem, animam mundi, πῦρ τεχνικὸν, aethera et cum mundo intime conjunctum esse putabant. Cfr. Lipsius, *de Physiol. Stoic.* Lib. I. dissert. 1, p. 15. Auctor epistolae nostrae ergo scribens χωρὶς θεοῦ ὑπὲρ παντὸς Jesus gustavit mortem, innuit τὸ πᾶν aliter sumendum esse ac nonnullis philosophis placeat, Deum a mundo separandum, non partem mundi, sed ab eo diversum auctorem τοῦ παντὸς esse. Idque fit eo verisimilius, cum auctor epistolae statim in subsequentibus loquendi formulis utatur, quae Stoicis usitatae sunt.

Versu 10. legnatur haec: Ἔπρεπε γὰρ αὐτῷ, δι' ὃν τὰ πάντα, καὶ δι' οὗ τὰ πάντα κ. τ. λ. Decebat enim eum, scil. Deum, propter quem et per quem omnia sunt etc. Similis locus extat in epistola ad Romanos XI, 36: Ἐξ αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα. Eadem sententia etiam Stoicis in usu est. Antoninus Lib. IV, 23.: Ὦ, Φύσις, (Deus) ἐκ σοῦ πάντα, ἐν σοὶ πάντα, εἰς σὲ πάντα. Ita etiam Seneca Quaest. Natur. I. praefat.: « Quid est Deus? Quod vides totum et quod non vides totum. — Solus est omnia, opus suum extra et intra habet."

Loquendi formula versu subsequente 11: ἐξ ἑνὸς πάντες Stoici quid sapit. Τὸ πᾶν et τὸ ἓν enim frequenter in ore Stoicorum versabantur. Atque si sumamus, in antecedentibus auctorem epistolae nostrae ad Stoicorum placita respexisse; per associationem idearum, quam vocant, versu etiam undeci-

mo rem quamquam aliam accommodate tamen ad loquendi rationem Stoicorum tractare potuit.

Ad vs. 14 et 15. Hic dicitur, Jesum ideo potissimum humanam naturam assumsisse, ut morte sua vim mortis aboleret; vel pressius ad textum et accommodate ad Judaicas opiniones, ut eum, qui habeat vim mortis, nempe diabolum, aboleret et liberaret eos, qui per totam vitam ob mortis metum servitute quadam teneantur, vel qui per omnem vitam servili metu reformident. Nolo multus esse in explicandis causis, ex quibus diabolus hoc loco dicatur, jus necis vel mortis vim et imperium in homines habere. Hoc ad meam tractationem non pertinet, et ab interpretibus hujus loci fusius exponitur. Id tantummodo monendum est, praeter consuetudinem scriptorum N. T. (19) hoc loco dici, Jesum ideo incarnatum esse ut morte sua homines a mortis metu servili liberaret, quippe cum alias in N. T. constanter doceatur, Jesum assumsisse humanam naturam et mortuum esse, ut nos peccatores expiaret, Deo reconciliaret et a poenis peccatorum liberaret. Nequaquam absonum est, hujus etiam dogmatis et loquendi rationis causam in Stoicorum decretis et praeceptis, ad quae auctor epistolae nostrae respexerit, quaerere. Etenim cum mortis imago animis hominum semper obversetur, et ἀταραξίαν illam, quam tantum ad vitam beatam conferre Stoici existimabant, turbet; maxime in eo sapienti elaborandum

(19) Locus 2 Tim. I, 10. a nonnullis ut parallelus locus citatus, a nostro valde diversus est. Non enim de mortis metu, sed de morte ipsa sermo est.

esse censebant philosophi e porticu, ut mortem intrepido pectore et irretortis oculis expectet, et mortis contemtum esse primarium fructum philosophiae statuebant. Anton. Lib. VII, 69: Τοῦτο ἔχει ἡ τελειότης τοῦ ἤθους, τὸ πᾶσαν ἡμέραν ὡς τελευταίαν διεξάγειν καὶ μήτε σφύζειν, μήτε ναρκᾶν. Id est: Hoc animus ad honestatem perfecte compositus praestat, ut diem quemcunque tamquam novissimum exigat, neque tremat, neque torpeat. Cfr. Lib. III, 7; VIII, 58. Multus inprimis Seneca est in demonstrando, mortem non metuendam esse, metum mortis esse *miserrimam servitutem*, qua homo undequaque vinciatur, et contemnere mortem, non metuere mortem, idem esse ac se in libertatem asserere. In Epist. 24 haec leguntur." In carcere Socrates disputavit, et exire, cum essent, qui promitterent fugam, nolult, remansitque, ut duarum rerum gravissimarum metum hominibus demeret, mortis et careeris." Epist. 26: « Egregia est, mortem condiscere. — Meditare mortem; qui hoc dicit, meditari libertatem jubet; qui mori didicit, servire dedidicit; supra omnem potentiam est, certe extra omnem. Quid ad illum carcer, custodia, claustrum? Liberum ostium habet. Una est catena, quae nos alligatos tenet, amor vitae; qui, ut non est abjiciendus, ita minuendus est, ut, si quando res exiget, nihil nos detineat." Epist. 30: « Si quid incommodi aut metus in moriendo est, vitium est morientis, non mortis, nec magis in ipsa quicquam est molestiae, quam post ipsam. Tam demens autem est, qui timet, quod non est passurus, quam qui timet, quod non est sensurus. — Vides

quosdam optantes mortem, et quidem magis, quam rogari solet vita. Nescio, utros existimem majorem nobis animum dare, qui depoſcunt mortem, an qui hilares eam quietique opperiuntur, quoniam illud ex rabie (20) interdum ac repentina indignatione, haec ex judicio tranquillitas est." Epistol. 77. haec leguntur: « Nemo tam imperitus est, ut nesciat, sibi quandoque moriendum esse: tamen cum prope accesserit, tergiversatur, tremit, plorat. Nonne tibi videbitur stultissimus omnium, qui fleverit, quod ante mille annos non vixerat? Aeque stultus est, qui flet, quod post annos mille non vivet. Haec paria sunt: non eris, non fuisti; utrumque tempus alienum est. — Rata et fixa sunt fata atque magna et aeterna necessitate ducuntur. Eo ibis, quo omnia eunt. — Hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc majoribus, hoc omnibus ante te, hoc omnibus post te cet." Natural. Quaest. Lib. II, 59: « Contemne mortem et omnia, quae ad mortem ducunt, contemta sunt: sive illa bella sint, sive naufragia, sive morsus ferarum, sive ruinarum pondera. — Iratis diis propitiisque moriendum est; animus ex ipsa desperatione sumatur. — Eodem citius tardiusve veniendum est. Quid ergo? Nonne tibi timidissimus omnium videtur et insipientissimus, qui magno ambitu rogat moram mortis? Nonne contemneres, qui, inter perituros constitutus, beneficii loco peteret, ut

(20) Sicut Antoninus Christianis obiecit Lib. XI, 3, ubi haec sunt: Τὸ δὲ ἕτοιμον τοῦτο (paratus ad moriendum animus), ἵνα ἀπὸ ἰδιωτικῆς κρίσεως, ἔρχηται· μὴ κατὰ ψιλὴν παράταξιν, ὡς οἱ Χριστιανοί.

ultimus cervicem praeberet? Idem facimus. Magno aestimamus, tardius mori. In omnes constitutum est capitale supplicium, et quidem constitutione justissima." De Provid. 6: « Contemnite mortem, quae vos aut finit aut transfert. — Ipsum illud, quod vocatur mori, quo anima discedit a corpore, brevius est quam ut sentiri tanta velocitas possit. Ecquid erubescitis? Quod tam cito fit, timetis diu?"

His et similibus argumentis Seneca in omnibus fere scriptis contra metum mortis animos lectorum munire eosque tamquam mancipia metus mortis in libertatem asserere, maximopere elaborat. Auctor epistolae nostrae, horum praeceptorum Stoicae philosophiae non ignarus, contendit vs. 14 et 15, multo melius contra mortis metum animos muniri fide in Christum, quippe qui morte sua et eam secuta resurrectione et doctrina certam spem alterius ejusque melioris vitae nobis fecerit, eaque mortis metum a suis asseclis propulerit. Quem philosophi primarium finem suorum praeceptorum et decretorum declarant; is, inquit, est primarius etiam finis evangelii, nempe contra mortis metum munire animos. Ideo auctor evangelii assumsit naturam humanam, ut sua morte eum, qui jus necis habet, destrueret et animos serviliter mortem metuentes a mortis metu liberaret. Persuasio de animorum perennitate et altera eaque beatiore vita post mortem expectanda, quam Christo docenti, morienti et resurgenti debemus, multo efficacius quam paraeneses Stoicae a servili mortis metu liberant.

Caput tertium.

Ad vs. 1. Hic legitur formula *κλήσεως ἐπουρανίου μέτοχοι.* Vox *μέτοχος* saepe in nostra epistola occurrit I, 9; III, 14; VI, 4; XII, 8; et voces cognatae II, 14; V, 13; in aliis epistolis Pauli non reperiuntur, ubi loco earum leguntur voces *κοινωνὸς*, *σύγκοινωνος*, *κοινωνεῖν.* In Stoicorum scriptis frequens usus est vocis *μέτοχος* et *μετέχειν.* Anton. I, 15. homo dicitur *θείας ἀπομοίρας μέτοχος*; IX, 6: *νοερᾶς φύσεως μέτοχος*; IV, 4: *Πολιτεύματός τινος μετέχομεν* etc. — Caeterum nexus hujus capitis cum antecedentibus mihi hic esse videtur: Jesus nos a mortis metu liberavit, spem certissimam alterius ejusque melioris vitae in coelis sua doctrina nobis faciens. Quum igitur tanta nobis offerantur, cum simus *μέτοχοι κλήσεως ἐπουρανίου*, i. q. *οἱ κεκλημένοι τῆς αἰωνίου κληρονομίας*; summa observantia prosequamur Jesum Christum, doctorem divinitus missum et mediatorem *ὁμολογίας ἡμῶν*, *ἀρχιερέα.*

Quod attinet ad vocem *ἀρχιερεὺς*, qua Jesus insignitur, notandum est, a Stoicis sapientes vocari sacerdotes. Anton. Lib. III, 4: *Ὁ ἀνὴρ ὁ τοιοῦτος* (sapiens) *ἱερεύς τις καὶ ὑπουργὸς θεῶν.* Stobaeus T. I. l. 2. de Stoicis: *Λέγουσι δὲ καὶ ἱερέα μόνον εἶναι τὸν σοφόν.* Caeterum nusquam nisi in hac epistola Christus dicitur sacerdos.

Ad vocem *ὁμολογία*, quae vertitur *confessio*, et quae praeter hunc locum IV, 14; X, 23. et praeterea semel 1 Tim. VI, 13. in N. T. occurrit, animadvertendum est, Stoicos dixisse, finem bonumque

ultimum sapientis esse, *ὁμολογουμένως ζῆν*. Seneca Epist. 74: « Virtus convenientia constat. Omnia ejus opera cum ipsa concordant et congruunt." Apud Ciceronem de Finib. III. Stoicus Cato loquens introducitur: « Summum hominis bonum positum est in eo, quod *ὁμολογίαν* vocant Stoici, nostri convenientiam." Haec convenientia vel *ὁμολογία* ab Antonino ita describitur: *Ὁ εἰς τοῦτον* (nempe finem summum) *τὰς ἰδίας ὁρμὰς ἀπευθύνων, πάσας τὰς πράξεις ὁμοίας ἀποδώσει καὶ κατὰ τοῦτο ἀεὶ ὁ αὐτὸς* (*καὶ εἷς* in antecedentibus) *ἔσται*. Seneca Epist. 120. sapientem ita describit: « Semper idem est in omni actu *par* sibi — magnam rem puta, *unum hominem* agere. Praeter sapientem nemo *unum agit*; caeteri multiformes sumus — nunquam vir ille *fortunae maledixit*, nunquam accidentia tristis excepit; *civem* esse se *universi* et *militem* credens, labores velut imperatos subiit. Quicquid inciderat, non aspernatus est tamquam casu in se delatum, sed quasi *delegatum* sibi. Necessario itaque magnus apparuit, qui numquam malis ingemuit, numquam de suo *fato* questus est; fecit multis intellectum sui, et non aliter quam in *tenebris lumen effulsit*, advertitque in se omnium animos, cum esset *placidus* et *lenis*. Habebat *perfectum animum* ad summam sui adductus, supra quam nihil est nisi mens Dei, ex *qua pars* et in *hoc pectus mortale defluxit*, quod numquam magis divinum est, quam ubi mortalitatem suam cogitat et scit, non domum esse hoc corpus, sed hospitium. Maximum argumentum est animi ab altiori venientis sede, si haec, in quibus versatur, humilia judicat

et angusta et *exire* non metuit. Scit enim, quo *exiturus sit*, *qui*, unde *venerit*, meminit." Profecto posses credere, Senecam descripsisse Jesum, de quo auctor nostrae epistolae dicit XIII: 8: Ἰησοῦς Χριστὸς χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας, id est, *unus idemque semper par sibi* (21), sapientissimus, et, quem imitemur dignissimus. Nolim recedere a vulgari interpretatione verborum ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας ἡμῶν, ut notent sacerdotem, quem profitemur. Sed profecto doctrina hujus sacerdotis, nos admonens, ut ad ejus exemplum nostram vitam componamus (Senec. Ep. 20 et 55.) nobis *pares*, *uni* simus, non inepte ὁμολογία dici posset. Et cum saepe auctor noster hac voce alias insolita utatur; ὁμολογίαν Stoicorum et Senecae in animo habuisse credibile est.

Vox κατασκευάζειν vs. 4. apud Stoicos in usu est, cum verba faciunt de Deo mundi conditore. Ab Antonino lib. VI, 29. Deus vocatur ἡ κατασκευάσασα (mundum) δύναμις. Hinc etiam natura cuivis a Deo indita παρασκευὴ dicitur Anton. VI, 32; VII, 55 etc. In libro Sapientiae, qui multum Graecorum philosophorum placita sapit, κατασκευάζειν eodem sensu occurrit, IX, 2.

Ad vs. 7 et sqq. Ab hoc versu usque ad versum undecimum capitis quarti auctor lectores exemplis et dictis V. T. pluribus monet, ne felicitatis aeternae jacturam faciant, nominat eam repetita vice

(21) Ita enim haec verba explicari possunt. Cfr. annotata ad hunc locum in capite ultimo.

κατάπαυσιν et σαββατισμὸν, comparat eam cum κατα-παύσει, quam Deus Israëlitis ex Aegypto profisci-scentibus in terram Canaan promiserat, et cum κατα-παύσει Dei ipsius, finito creationis opere (22), et ista κατάπαυσις adumbratam esse κατάπαυσιν τῷ λαῷ τοῦ θεοῦ, i. e. veris Christianis, non in crimen ἀπι-στίας incurrentibus, destinatam. Ponit ergo auctor futuram Christianorum felicitatem in eo, quod a malis et aerumnis, quibus in hac vita obnoxii sunt, liberentur et pace et quiete fruantur. Sic etiam Se-neca felicitatem aeternam (de qua passim loquitur, e. g. de Vita beata 2. « quaeramus, quod nos in possessione felicitatis aeternae constituat") descri-bit. De Consolatione ad Marciam 19: « Excepit (mortuum filium) magna et *aeterna* pax." Cap. 24: « Imago duntaxat filii tui periit; ipse quidem aeternus meliorisque nunc status est. — Haec, quae vides ossa circumvoluta nervis, et obductam cutem vultumque, et ministras manus et caetera, quibus obvoluti sumus, vincula animorum et tenebrae sunt. Obruitur his animus, offuscatur, inficitur, arcetur a veris et suis, in falsa conjectus; omne illi cum hac carne gravi certamen est, ne abstrahatur et sidat: nititur illo, unde dimissus est, ubi illum *aeterna*

(22) Morus ad Versionem hujus loci bene monet: » Man unterscheidt in dieser Stelle zwey Ausdrücke, die von zwey Begebenheiten entlehnt sind; den Einen, *zu Gottes Ruhe gelangen*, der aus der Jüdischen Geschichte; und den Andern, *wie Gott ausruhen*, der aus der Schöp-fungsgeschichte entlehnt ist. Einer heisst: Glückseligkeit erlangen; oder an einer von Gott verheissenen Glückseligkeit Antheil nehmen; dieser: wie Gott glückselig seyn, in dem Genusse der erlangten Glück-seligkeit sich selig fühlen.

requies manet." Epist. 71. docet, animos nostros in beatam quidem naturae sedem relabi, neque tamen *aeterna quiete* sopitum iri, verum potius in lucem et nova corpora remeaturos esse (23).

Caput quartum.

Ad vs. 12 et 13. *Ζῶν γὰρ ὁ λόγος τοῦ θεοῦ καὶ ἐνεργὴς καὶ τομώτερος ὑπὲρ πᾶσαν μάχαιραν δίστομον καὶ διϊκνούμενος ἄχρι μερισμοῦ ψυχῆς τε καὶ πνεύματος, κ. τ. λ.* In hoc loco potissimum vestigia Philonianae theologiae vident Schulz *der Brief an die Hebräer*, pag. 266. et Bleek *der Brief an die Hebräer, erste Abtheilung* pag. 399. et conferunt cum illo nonnulla loca Philonis: Quis rerum divin. haer. p. 499. edit. Francof. A. Ibi Philo ad verba Genes. XV, 10: « Abrahamus (foederis cum Deo sanciendi causa) dissecuit victimas (foederi sanciendo destinatas, vel in duas partes aequales dissecuit, ut more foedus sancientium inter partes transiret) suo more has allegoricas interpretationes addit: Sub dissecante intelligendus est Deus *τέμνων — ἁπάσας φύσεις τῷ τομεῖ τῶν συμπάντων αὐτοῦ λόγῳ, ὃς εἰς τὴν ὀξυτάτην ἀκονηθεὶς ἀκμὴν διαιρῶν οὐδέποτε λήγει τὰ αἴσθητα πάντα, ἐπειδὰν μέχρι τῶν ἀτόμων καὶ λεγομένων ἀμερῶν διεξέλθῃ*, id est: Deus secat omnes naturas suo verbo omnium

---

(23) Meyer, (*Commentatio, in qua doctrina Stoicorum ethica cum Christ. comparatur*) haec ad istum locum annotat: » Vix de *μετεμψυχώσει* cogitari potest, quippe quae animas defunctorum protinus in alia corpora transmittit." Seneca etiam nunquam in suis scriptis huic dogmati patrocinatur.

sectore, qui in aciem acutissimam formatus nunquam cessat dissecare omnia sensibilia, donec ad secari nescia et quae vocantur individua perveniat. Iisdem fere verbis utitur Philo paulo inferius in eodem libro p. 500, C: Θεὸς ἀκονησάμενος τὸν τομέα τῶν συμπάντων αὐτοῦ λόγον τὴν ἄμορφον καὶ ἄποιον τῶν ὅλων οὐσίαν (forma et qualitate carentem omnium naturam) καὶ τὰ ἐξ αὐτῆς ἀποκριθέντα τὰ τέσσαρα τοῦ κόσμου στοιχεῖα καὶ — ζῶά τε καὶ φυτά. Porro p. 513, C: Θεῖος λόγος τὰ ἐν τῇ φύσει διεῖλε καὶ διένειμε πάντα. In libro Sacrae Legis alleg. II, pag. 92, B. multa loquens de λόγῳ, cum comparat cum pupilla oculi. Sicut haec, quamquam perparva corporis pars, omnia videt; sic ὁ θεῖος λόγος ὀξυδερκέστατός ἐστιν, ὡς πάντα ἐφορᾷν εἶναι ἱκανός. His locis Philonis respondere creduntur versus 12 et 13. capitis quarti nostrae epistolae et quidem priori loco citatis versus 12, et postremo versus 13, in quo haec sunt: Καὶ οὐκ ἔστιν ἀφανὴς κτίσις ἐνώπιον αὐτοῦ.

Afferendi mihi videbantur hi loci Philoniani, quoniam assertores Alexandrinae originis epistolae nostrae illis multum tribuisse video. Sed primo, magnum discrimen inter loca Philonis et versus 11 et 12. interesse, luculenter apparet (24). Deinde Stoici etiam multa loquuntur de λόγῳ vel divina ratione, quae Stoicis Deus ipse est, omnes res creatas ipsosque animos humanos permeante. Seneca de Benef. Lib. IV, 7: « Quid aliud est natura, quam Deus et divina ratio toti mundo et partibus ejus inserta?"

(24) Incertum enim est, num in vs. 11, 12. auctor noster ad λόγον respexerit? Conf. Kuinoel ad h. l.

Seneca Epist. 83: « Nihil Deo clusum est, interest animis nostris et cogitationibus mediis intervenit.” Diog. Laërt. VII, 147. Zenonem ita de Deo statuisse perhibet: Κοινῶς τε καὶ τὸ μέρος αὐτοῦ τὸ διῆκον διὰ πάντων, id est: Et totus et ex parte omnia permeat. Cicero de Natur. Deor. Lib. I, 11. ita Stoicorum de Deo sententiam exprimit: « Deum esse rationem quandam per omnem naturam pertinentem, vel animum per naturam rerum omnem intentum et commeantem.”

Porro in isto libro Philonis: Quis rerum divinarum haeres, multa extant, quae Stoica sapiunt. Philo ibi, sicut Stoici, dividit hominem in corpus, animam sensibilem et νοῦν, et loquitur de λόγῳ σπερματικῷ p. 497, D. In Stoicorum scriptis vero λόγον σπερματικὸν et λόγους σπερματικοὺς saepissime commemorari, et Stoicis peculiare dogma esse de λόγοις σπερματικοῖς, res est notissima. Cfr. Lipsius *Physiol. Stoic.* Lib. I, dissert. 6. Tiedemann *System der Stoïschen Philosophie*, Tom. II, p. 48 sqq. Jam si concedamus, inter vs. 12 et 13. capitis quarti et ista loca Philonis convenientiam aliquam extare, inde non sequitur auctorem nostrae epistolae fuisse Alexandrinum. Hoc tantummodo sequitur, Philonem et auctorem ex eodem fonte hausisse, et Stoicorum decreta ante oculos habuisse; vel etiam, si multum concedamus, auctorem nostrae epistolae nonnulla scripta Philonis legendi occasionem habuisse, de qua re infra nonnulla dicentur. Multum ab assertoribus Alexandrinae originis epistolae nostrae vocibus et loquendi formulis insolentia quadam conspicuis, passim in nostra epistola et Philonis scriptis obviis, tribui

video. Sed multae ejusmodi voces in nostra epistola occurrunt, quae nuspiam in Philonis scriptis reperiuntur. E. g. πρόσφατος, ὀπή, εὐπερίστατος εὐποιΐα, ἀντικαθίστημι, cet.

Caput quintum.

Ad vs. 2. Vocabulum μετριοπαθεῖν, quod alias in N. T. non occurrit, et sine dubio idem est ac συμπαθεῖν IV, 15, referendum est ad usum scholarum philosophicarum, in quibus multum disputabatur, num quoad affectus, ἀπάθεια, an μετριοπάθεια, an ἐμπάθεια sectanda sit; vel aliis verbis: num satius sit, nullos habere affectus, an modicos, an se affectibus totum committere? Prius docebant Stoici, alterum Peripatetici, tertium Epicurei. Seneca hac de re saepe in scriptis suis verba facit, Epist. 116: « Utrum satius sit, modicos habere affectus, an nullos, saepe quaesitum est. Nostri illos expellunt; Peripatetici temperant. Ego non video, quomodo salubris esse aut utilis possit ulla mediocritas morbi. — Imbecillis est primo omnis affectus, deinde se concitat et vires, dum procedit, parat; excluditur facilius, quam expellitur." De Ira lib. I: « Modicus affectus nihil aliud est, quam malum modicum." Auctor nostrae epistolae voce μετριοπαθεῖν utens non ejusdem sententiae cum Seneca est, nec esse potuit, quippe doctor Religionis Christianae, quae non vacuitatem affectuum, sed moderationem ab asseclis postulat. Ipse Seneca, in alio loco sibi ipse contrarius, dicit Epist. 104: « Indulgendum est honestis affectibus."

Ex hoc usu vocis μετριοπαθεῖν in scholis philosophi-

cis significatio ejus constituenda est. Morus vertit illam *Nacheicht beweisen*, sed haec non est primitiva significatio vocis μετριοπαθεῖν, sed consequens. Wahlius T. II, p. 86, recte vertit: *moderatis affectibus utor*. Si quis solet μετριοπαθεῖν vel affectus suos moderari, temperat etiam iram, ignoscit aliis, commodat veniam delictis, injuriarum obliviscitur, miseris auxiliatur etc. (25). Philo Mosi Stoicorum sapientiam asserens lib. I. Alleg. dicit: Ὅλον τὸν θυμὸν (iram) ἐκτέμνειν καὶ ἐκκόπτειν τῆς ψυχῆς οἴεται δεῖν, οὐ μετριοπάθειαν, ἀλλὰ συνόλως ἀπάθειαν ἀγαπῶν. Sed hic locus non probat, auctorem epistolae nostrae, quia voce μετριοπαθεῖν utatur, Philonis libros, sed potius Stoicorum placita ante oculos habuisse.

Notandum est, in universum multa in nostra epistola de Jesu, qui tamquam exemplum sapientiae et virtutis omnibus numeris absolutum nobisque imitandum proponitur, modo per thesin, modo per antithesin dici, quae Stoicorum placita redolent.

Stoici dixerunt: Sapiens non ignoscit; (οὐ μετριοπαθεῖ τοῖς ἀγνοοῦσι καὶ πλανωμένοις). Seneca de Clement. II, 6, 7: « Venia est poenae meritae remissio. Ergo ei ignoscitur, qui puniri debet. Sapiens autem

---

(25) Apud Josephum vox μετριοπαθεῖν occurrit et notat *vindictae* erga eos, qui hostiliter erga nos se gesserunt, *non indulgere*, erga eos *moderate se gerere*. Antiq. Jud. lib. XII, cap. 3, G. edit. Colon. narratur, Vespasianum et Titum nihil de jure Judaeorum eorumque praerogativis in nonnullis Romanae potestati subjectis civitatibus diminuere voluisse, nec irae in eos indulsisse. Additur: Οὐεσπασιάνου δ' ἂν τις καὶ Τίτου τὴν μεγαλοφροσύνην εἰκότως ἐκπλαγείη μετὰ πόλεμον καὶ τηλικούτους ἀγῶνας, οὓς ἔσχον πρὸς ἡμᾶς, μετριοπαθησάντων.

nihil facit, quod non debet; itaque poenam, quam exigere debet, non donat." Addit deinde ad mitigandam sententiam duram, cujus causa Stoicis objiciebatur, eos jubere, humanitatem dediscere: « Sapiens quidem non dat veniam, sed illud, quod ex venia consequi vis, honestiore via tibi tribuit. Parcit, consulit, corrigit. Idem facit, quod, si ignosceret, non ignoscit." Opposite ad hoc dogma Jesus comparatur cum sacerdote *δυναμένῳ μετριοπαθεῖν τοῖς πλανωμένοις*.

Stoici dixerunt: Sapiens non miseretur (*συμπαθεῖ*). Senec. de Clement. II, 4, 5: « Plerique misericordiam ut virtutem laudant et bonum hominem vocant misericordem. Sed misericordia est vitium, quod omnes boni vitabunt. Est enim vitium pusilli animi, ad speciem alienorum malorum succidentis — aut tristitia ex alienis malis contracta, quae immerentibus accidere credit. Aegritudo autem in sapientem non cadit." Anton. VII, 43 vetat lamentari cum lamentantibus vel *συνεπιθρηνεῖν*. Opposite ad hoc durum et inhumanum dogma Jesus dicitur *ἐλεήμων, δυνάμενος συμπαθῆσαι ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν*, et ideo multa passus, ut haud ignarus mali aliis succurrere posset: *ἐν ᾧ γὰρ πέπονθεν αὐτὸς πειρασθείς, δύναται βοηθῆσαι τοῖς πειραζομένοις*, II, 18.

Stoici a sapiente suo flagitabant, ut *nulla calamitate, nullo dolore, nullo mortis genere commoveretur*, sed inconcussam *ἀταραξίαν* ostenderet. Seneca de Clement. II, 5: « Non potest magnus animus esse, si metus et moeror eum confundit. Sapiens omnem fortunae iram reverberabit et ante se franget. Eandem semper faciem servabit, placidam, inconcussam."

Similia in omnibus Senecae (26) aliorumque Stoicorum scriptis leguntur. Opposite ad hoc dogma Stoicorum Jesus dicitur: *ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς σαρκὸς αὐτοῦ δεήσεις τε καὶ ἱκετηρίας πρὸς τὸν δυνάμενον σώζειν αὐτὸν — μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς καὶ δακρύων προσένεγκας.* Stoici censebant, sapientem *peccati expertem* esse. Laërtius in Zenone hoc ejus dogma refert: *ἀναμαρτήτους τοὺς σοφοὺς καὶ ἀπεριπτώτους εἶναι.* Antoninus III, 4: *Ὁ ἀνὴρ ὁ τοιοῦτος* (sapiens) *ἱερεὺς καὶ ὑπουργὸς θεῶν, χρώμενος καὶ τῷ ἔνδον ἱδρυμένῳ αὐτοῦ* (genio), *ὃ παρέχεται ἄνθρωπον ἄχραντον ἡδονῶν, ἄτρωτον ὑπὸ πάντος πόνου, πάσης ὕβρεως ἀνέπαφον, πάσης ἀναίσθητον πονηρίας, ἀθλητὴν ἄθλου μεγίστου, δικαιοσύνῃ βεβαμμένον εἰς βάθος.* Hinc etiam Philo Stoicos secutus de Profug. p. 466, B. et p. 467, C. docens causam, cur profugis ob caedem mors pontificis praescribatur exilii terminus, pontificem Judaeorum, qui ipsi est instar sapientis Stoicorum, ita describit: *Ἀμέτοχος καὶ ἀπαράδεκτος παντὸς εἶναι πέφυκεν ἁμαρτήματος.*

Auctor noster, quamquam contra opiniones paradoxas Stoicorum contendit, Jesum ad ignoscendum pronum, misericordem et doloris sensu affectum, illaesa ejus summa sapientia, esse potuisse et debuisse; tamen in eo consentit cum illis, quod Jesus peccati

(26) Quamquam Seneca multis in locis *ἀταραξίαν* et *ἀπάθειαν* laudat, tamen in Epistola 99. lacrymas in funeribus nostrorum et aliis occasionibus cadentes non prorsus damnat: » Saepe, inquit, lacrymae salva auctoritate sapientis fluxerunt, tanto temperamento, ut illis nec humanitas nec dignitas deesset. — Quemadmodum in caeteris rebus, ita et in lacrymis aliquid sat est." Cfr. Epist. 9 et 71. » Non educo sapientem ex hominum numero, nec dolores ab illo, sicut ab aliqua rupe, submoveo."

expers fuerit, idque saepius, quam in ullo alio N. T. libro fit, urget. II, 15: Πεπειρασμένος κατὰ πάντα καθ' ὁμοιότητα, χωρὶς ἁμαρτίας; VII, 26: Τοιοῦτος γὰρ ἡμῖν ἔπρεπεν ἀρχιερεὺς, ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν; IX, 14: Ὃς ἑαυτὸν προσήνεγκεν ἄμωμον τῷ θεῷ. Ipsum illud dictum insolens de Deo, VI, 18: Ἀδύνατον ψεύσασθαι τὸν θεὸν, alludere videtur ad Stoicum decretum: Sapiens non mentitur. Cfr. Lipsius Manud. lib. III, 8, ubi citatur locus ex Stobaei Eclog.: Λέγουσι (Stoici), μὴ ψεύδεσθαι τὸν σοφὸν, ἀλλ' ἐν πᾶσι ἀληθεύειν; immo τὸ εἰρωνεύεσθαι (quamquam Socrati usurpatum) φαῦλον εἶναί φασι.

Ad vs. 7. Vocem εὐλαβείας nonnulli hoc loco de metu explicant; alii, metum Christo indignum fuisse censentes, de *reverentia* erga Deum vel pietate erga Deum, ut verba εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας vertenda sint: exauditus est ob pietatem erga Deum. Sed quaeritur, quatenus ob pietatem exauditus sit Jesus, cum preces ad Deum cum clamore magno et lacrymis in horto Gethsemanes funderet? Ab inimicis enim correptus et supplicio crucis traditus est. Loco huic lux affunditur, si vocem εὐλαβείας in sensu Stoicorum explicamus. Diogenes Laërt. lib. VII, 63 refert, Stoicos contendere: φοβηθήσεσθαι μὲν τὸν σοφὸν οὐδαμῶς, ἀλλ' εὐλαβηθήσεσθαι· εὐλάβειαν εἶναι ἐναντίαν τῷ φόβῳ, οὖσαν εὔλογον ἔκκλισιν· εὐπαθείας εἶναι τρεῖς, χαρὰν, εὐλάβειαν, βούλησιν (εὔλογον ὄρεξιν)· ὑπὸ δὲ τὴν εὐλάβειαν subsumi αἰδῶ καὶ ἁγνείαν. Augustinus de Civitate Dei lib. XIV, 8 similia habet: « Stoici loquuntur, ut gaudere, cavere, velle negent, nisi sapientem; stultum autem nonnisi laetari, metuere, cupe-

re; stultis esse pro voluntate cupiditatem, pro gaudio laetitiam, pro cautione metum." Εὐλάβεια igitur Stoicis est εὔλογος ἔκκλισις, prudens cautio, quae mala imminentia non metuit, sed declinare cupit. Jam si hanc εὐλαβείας significationem admittimus, verba εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας ita explicari possunt: Jesus exauditus est a Deo respectu (27) ad εὐλάβειαν, i. e. *animi voluntatem* precibus ad Deum declaratam, se optare, ut mortis cruentae dolores evitare et declinare (ἐκκλίνειν) possit, ut ποτήριον τοῦτο Matth. XXVI, 39 transeat, sed conjunctam cum αἰδοῖ, qua suam voluntatem voluntati Dei subjiciebat. Exauditus est a Deo, non quatenus ab instantibus mortis cruentae doloribus liberaretur, sed quatenus, secundum narrationem Evangelicam Lucae, per genium coelestem ad mortem subeundam confirmaretur. Sic verba ἐξακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας bene cum sequentibus versus octavi cohaerent: Καίπερ ὢν υἱὸς, ἔμαθεν, ἀφ' ὧν ἔπαθε, τὴν ὑπακοήν; quae aperte indicant, non eatenus Jesum ἀπὸ τῆς εὐλαβείας a Deo exauditum esse, quatenus post mortis exantlatos dolores a Deo resuscitatus et ad altiora evectus sit. Exauditus est a Deo, et tamen passus est; exauditus est, quatenus ad mortem fortiter toleranda confirmaretur. Auctori vero nostrae epistolae istam εὐλαβείας notionem Stoicam non ignotam fuisse, testatur XII, 28, ubi dicitur: Εὐαρέστως τῷ θεῷ λατρεύωμεν μετὰ αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας. Seneca in Epist.

(27) Praepositionem ἀπὸ de animi sensibus usurpari, qui, ut fiat aliquid, occasionem praebent, docuit Wahl *Clavis* T. I, p. 115 a hunc locum exempli loco citans.

85 multus est in demonstrando, sapientem sine timore esse, sed addit: « Non praebebit se periculis, non timebit illa, sed vitabit. Cautio (ἔκκλισις) illum decet, non timor." Cfr. Epist. 73.

Caeterum significatio reverentiae et pietatis erga Deum, quam Lexicographi N. T. voci εὐλαβείας tribuunt, mea hujus loci explicatione non dubia redditur; εὐλάβεια habet enim adjunctam αἰδῶ, quae a Christianis maxime ad Deum refertur; praesertim cum cognatum vocabulum εὐλαβὴς pluribus N. T. locis pietatis erga Deum notionem habeat, Act. II, 5; VIII, 2; Luc. II, 21.

Ad paronomasiam vs. 8 ἔπαθε — ἔμαθε amici Alexandrinae originis epistolae nostrae nonnullos locos e Philonis scriptis citant, ubi similia leguntur. Sed non peculiaria sunt Philoni; reperiuntur etiam in aliis Graecorum scriptis παθήματα, μαθήματα; παθόντες, μαθόντες; quod multis exemplis docuit Wetstenius ad h. locum. Sic et Latini: quae nocent, docent.

Ad vs. 12: Καὶ γὰρ ὀφείλοντες εἶναι διδάσκαλοι διὰ τὸν χρόνον, πάλιν χρείαν ἔχετε τοῦ διδάσκειν ὑμᾶς, τίνα τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ θεοῦ. Vocabula στοιχεῖα et ἀρχὴ, quae hic metaphorice de elementari institutione in Religione Christiana sumuntur, in scholis Stoicorum usitata sunt. Materiam, ex qua mundus confectus est, dividebant in *activam* et *passivam*; passivam ita comparatam esse dicebant, ut omnium formarum capax sit, quas activa materia vel anima mundi illi dare velit. Hanc activam et passivam vocabant ἀρχὰς, et quatuor elementa ex iis formata στοιχεῖα. Diog. Laërt. VII, s. 134: Δοκεῖ δ' αὐτοῖς ἀρχὰς εἶναι τῶν ὅλων δύο, τὸ ποιοῦν καὶ τὸ πάσχον· τὸ

μὲν οὖν πάσχαν εἶναι τὴν ὕλην, ἄποιον οὐσίαν· τὸ δὲ ποιοῦν, τὸν ἐν αὐτῇ λόγον τὸν θεόν. Διαφέρειν δέ φασι ἀρχὰς καὶ στοιχεῖα· τὰς μὲν γὰρ εἶναι ἀγεννήτους καὶ ἀφθάρτους, τὰ δὲ στοιχεῖα κατὰ τὴν ἐκπύρωσιν φθείρεσθαι, εἶναι δὲ τέσσαρα στοιχεῖα. Cfr. Tiedemann in lib. laud. p. 44.

Ad verba: γεγόνατε χρείαν ἔχοντες γάλακτος καὶ οὐ στερεᾶς τροφῆς citat Schulzius in libro laud. pag. 267, 268, duo loca Philonis nostro similia. Simile quid vero etiam legitur in Arriani *Epict.* lib. II, 16: Οὐ θέλεις ἤδη ὡς τὰ παιδία ἀπογαλακτισθῆναι καὶ τροφῆς στερεοτέρας ἅπτεσθαι.

In ultimo versu capitis V auctor noster haec habet: Cibus solidior vel doctrina solidior convenit iis, qui habent διὰ τὴν ἕξιν τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ, id est, qui per habitum (quendam) sentiendi organa exercitata habent ad discernendum bonum et malum. Tota phrasis scholas philosophicas redolet. Vox ἕξις in scholis Stoicorum valde usitata est, et plures significationes habet. Primo enim ἕξις est idem ac ἐκτικὴ δύναμις, id est, vis, qua omnes res creatae, tam inanimes, quam animatae, in statu suo σωέχονται vel ut barbari loquuntur, in *suo esse* continentur. Omnia enim corpora opus habent aliqua vi et virtute, qua contineantur et in suo statu maneant. Inanima ὑπὸ ψιλῆς ἕξεως continentur, et hanc ἕξιν ab anima mundi habent; hinc ista ἕξις etiam nonnunquam a Stoicis *spiritus* dicitur. In rebus animatis, e. g. plantis, animalibus, hominibus, ista ἕξις non est ψιλὴ ἕξις, sed ei adjuncta est φύσις in plantis, ψυχὴ in animalibus, νοῦς in hominibus (28).

(28) Cfr. Diog. Laërt. VII, 70; Themistius ad libr. I. de Anima,

Sed etiam alio sensu Stoici usurpant vocem ἕξις, qui non parum ad locum nostrum illustrandum confert. Docuerunt nempe contra Peripateticos, non virtutis usum modo, sed ἕξιν virtutis per se magni pretii esse. Seneca de Vita beata 9 dicit: « Summum bonum in ipso judicio et habitu (ἕξει) optimae mentis est." Habitus optimae mentis vel ἕξις secundum Senecam a judicio pendet vel potius idem est ac judicium nempe rectum et certum. Sic enim argumentatur: « Beata est vita, conveniens naturae suae, quae non aliter contingere potest, quam si primum sana mens est. — Beatus nemo dici potest extra veritatem projectus; beata ergo vita est in recto certoque judicio stabilita et immutabilis —. Non sine sanitate quisquam beatus esse potest: nec sanus, cui offutura pro optimis appetuntur, (vel cui non est rectum certumque judicium). — Beatus is, cui omnem habitum rerum suarum ratio commendat —. Fiducia (boni viri) non sine scientia sit, scientia non sine constantia; maneant illi semel placita, nec ulla in decretis ejus litura sit." — c. 3, 5, 6, 8. Habitus virtutis (ἕξις) ergo secundum Senecae sententiam oritur ex recto et certo judicio rationis, vel idem est ac rectum et certum judicium rationis, vel (ut etiam loqui solet) *vera ratio*. Istud vero rectum et certum judicium vel recta ratio ex sensibus (αἰσθητηρίοις) capit principia secundum Senecam. Ita enim loqui-

---

Multa de hac ἕξει disputat Salmasius ad Epictetum et Simplicium p. 296 etc., ubi plura loca, hoc Stoicorum de ἕξει dogma partim testantia partim dilucidantia, proferuntur, Philoni etiam non ignota fuit ista Stoicorum ἕξις.

tur c. 8: „Non habet (vera ratio) aliud (ac sensus), unde conetur, aut unde ad verum impetum capiat et in se revertatur. Nam mundus quoque cuncta complectens, rectorque universi Deus, in exteriora quidem tendit, sed tamen in totum undique in se redit. Idem nostra mens faciat: cum secuta sensus suos, per illos ad externa se porrexerit et illorum et sui potens sit, et (ut ita dicam) devinciat summum bonum. Hoc modo una efficietur vis ac potestas concors sibi, et ratio illa certa nascetur, non dissidens nec haesitans in opinionibus et comprehensionibus nec in sua persuasione."

Seneca ergo cum auctore nostrae epistolae mire consentit: Solidior cibus vel doctrina convenit τελείοις, perfectioribus, sapientibus; habent enim ob ἕξιν vel virtutis habitum, quo gaudent, sensus exercitatos ad discernendum bonum et malum. Virtutis habitus est enim *certum* et *rectum judicium* vel *vera ratio*, et haec vera ratio oritur ex sensibus exercitatis γεγυμνασμένοις αἰσθητηρίοις. Caeterum praepositionem διὰ hoc loco non id, *per quod*, sed id, *propter quod* notare, ex multis locis N. T. patet (cfr. Wahlii *Clavis* pag. 277.), nec non contextus docet. Nam si significationem *per quod* admittere vellemus, ut Wahlius fecit, phrasis διὰ τὴν ἕξιν inepta esse vel plane redundare videretur. Habitus enim in ulla aliqua re oritur ex usu et exercitatione, est consequens exercitationis. Si ergo praepositionem διὰ *per* verteremus, contrarium diceretur, per habitum fieri sensus exercitatos, quod ineptum esset (29).

(29) Bengel *Gnom.* ad h. l. notat: „Ἕξις dicitur de toto, in

Caput sextum.

Ad vs. 4. In voce φωτισθέντας, quae etiam X, 32 occurrit, nonnulli serioris scriptionis epistolae nostrae vestigium deprehendere sibi visi sunt, de *baptizatis* illam vocem explicantes, quoniam vocabulum πρόσφατος Hebr. X, 20, ἅπαξ λεγόμενον, seriori aetate cum φωτισθέντες conjunctum, denotet *recenter baptizatos*. In canone tertio Concilii Laodiceni enim legitur: Μὴ δεῖν πρόσφατον φωτισθέντας προσάγεσθαι ἐν τάγματι ἱερατικῷ, ubi de baptismate sermo est, quod a patribus vocatur φωτισμός. Cfr. Bingham *Orig. Eccles.* Tom. I, 36. Concedendum est, in N. T. nunquam alias vocem φωτίζειν et φωτισμὸς ad baptisma referri. Sed quaeritur, num φωτισθέντες in nostro loco et Hebr. X, 20 pro *baptizati* ponantur, ut Grotius aliique volunt? Potest haec vox, sicut in aliis locis N. T. explicari de iis, qui salutari doctrina evangelii imbuti sunt.

Ad vs. 5 conferantur ea, quae supra ad Cap. II, vs. 5 dicta sunt.

Ad vs. 16, ubi leguntur: πάσης ἀντιλογίας πέρας εἰς βεβαίωσιν ὁ ὅρκος, annotare liceat, Stoicos et Senecam de jurejurando ejusdem fere cum Christianis senten-

---

quo partes se invicem habent et habentur, tenent ac tenentur, et h. l. est robur facultatis cognoscendi ex maturitate aetatis spiritualis existens, *non habitus exercitatione acquisitus;* habitum exercitatio sequitur, ac robur facit, ut capiat aliquis exercitationem cum alacritate et dexteritate." Num vero maturitas aetatis spiritualis sine exercitatione existere potest? Semper maturitatem spiritualem exercitatio praegreditur, et nemo quoad animum et intellectum maturus τέλειος fieri potest, nisi exercitatio antecesserit.

tiae fuisse, censentes, jusjurandum quidem, quantum fieri possit, recusandum, sed juramenti religionem sanctissime servandam esse. Epictet. 44; « Jusjurandum recusa, quantum fieri potest, omnino; sin minus, quantum potes. » Seneca Regulum, qui jurejurando interposito Carthaginiensibus reditum promiserat et pactionem religione sancitam cum damno vitae servaverat, summis laudibus effert, de Prov. 3. « Fortuna Regulum documentum fidei, documentum patientiae fecit. »

Ad vs. 19, ubi spes in Deo posita dicitur ἄγκυρα ἀσφαλὴς, notare liceat, ejusmodi locutionem etiam Senecae in usu fuisse. In Epigrammate ad Crispum hi versus leguntur:

Crispe, meae vires, lassarumque ancora rerum:
Naufragio litus, tutaque terra meo.

Caput septimum.

Ad vs. 3. Melchisedech vocatur ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, id est, cujus pater et mater et genus a Mose non recensetur, cujus origines ignotae sunt. Similem loquendi formulam reperimus in Seneca, Epist. 108: « Cum philologus ad lectionem Ciceronis librorum de Republica accedit, hoc subnotat, duos Romanos reges esse, quorum *alter patrem non habet, alter matrem.* Nam de Servii matre dubitatur: Anci pater nullus, (qui scilicet famae traditus extat). » Hunc locum Senecae ideo protuli, quod fautores Philonianae et Alexandrinae originis nostrae epistolae ad hunc versum mentionem faciunt loci Philonis de Temulentia pag. 248, ubi simile quid legitur: Λέγεται δὲ Σάῤῥα

καὶ ἀμήτωρ γενέσθαι, τὴν ἐκ πατρὸς οὐ πρὸς μητρὸς, αὐτὸ μόνον, κληρωσαμένη συγγένειαν, θήλεος γενεᾶς ἀμέτοχος. Istud λέγεται vero refertur ad verba Abrahami Genes. XX, 12, quibus coram Abimelecho se excusat, quod Saram uxorem pro sorore sua venditaverit: « Profecto mea soror est; nam patris mei filia est, sed non filia matris meae." De his verbis Philo suo more allegorice rhetoricatur et Sarae ἀμήτορα ἀρχὴν tribuit. Cfr. liber: Quis sit divin. rer. haer. p. 489, E. Si locus hic Philonis nexum auctoris nostri cum Philone et Alexandrinis testaretur; Senecae locus a me prolatus nexum auctoris cum Seneca arguere posset. Sed ejusmodi loci in utramque partem sunt levis momenti.

Idem annoto ad verba ὡς ἔπος εἰπεῖν vs. 9, quae saepius in Philonis scriptis occurrunt et Alexandrinam dicendi rationem sapere perhibentur. Ista loquendi formula enim non est Philoni propria, sed centies etiam in aliis Graecorum scriptis legitur. Cfr. Wetstenius ad hunc locum.

Ad vs. 16. In verbis κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου Bertholdt (*Einleitung* etc. Tom. VI, p. 2942.) vestigia Alexandrini dogmatis de λόγῳ deprehendere putat, quoniam λόγος 1 Joh. I, 2 etiam ζωὴ αἰώνιος vocetur, et phrasis ζωὴ αἰώνιος et ζωὴ ἀκατάλυτος idem significet, nempe λόγον vel πνεῦμα αἰώνιον secundum Hebr. IX, 14. et inde etiam originem Alexandrinam nostrae epistolae derivare studet. Sed contextus docet, verba κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου opposita esse verbis κατὰ νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς (vel secundum aliam lectionem σαρκινῆς). Νόμος ἐντολῆς σαρκικῆς vero est τάξις Ἀαρὼν, in qua ἀποθνήσκοντες ἄνθρωποι sacerdotes fuerunt (cfr. Schulz ad h. l.); huic νόμῳ et ejus

sacerdotibus morti obnoxiis opponitur sacerdos majoris dignitatis, qui habet ζωὴν ἀκατάλυτον, Christus, qui post mortem resurrexit et in Sanctum Sanctorum vel in coelum ascendit, in perpetuum pro nobis intercessurus. Locus Actor II, 24 nostrum illustrare videtur: Ὃν ὁ θεὸς ἀνέστησε λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου (*vincula mortis* secundum Hebraica verba, quae *ol* LXX falso verterunt, confundentes חֶבֶל, *parturientium dolor*, cum voce חֶבֶל, *laqueus*) καθότι οὐκ ἦν δυνατὸν κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπ' αὐτοῦ.

Ad vs. 24. Multus est auctor in demonstrando, Jesum κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ sacerdotem esse, et secundum hanc τάξιν habere sacerdotium ἀπαράβατον. Schulz lib. laud. p. 186 ad interpretationem hujus formulae haec profert: « Dasz Christus nicht in der Reihefolge und Abkunft von Aaron Priester geworden, ist mit dieser formul gesagt; " et ad vocem ἀπαράβατος « was nicht von Einem auf den Andern übergeht, unübertragbar, unwandelbar. " Vix crediderim voces *unübertragbar* et *unwandelbar* synonymas esse, et auctorem cum voce ἀπαράβατος notionem *unübertragbar* conjunxisse. Vox ἀπαράβατος apud Stoicos scriptores notat *mutari nescium*. Antoninus vocat XII, 14 εἱμαρμένην τάξιν ἀπαράβατον. Epictetus 75 dicit: Πᾶν τὸ βέλτιστον φαινόμενον ἔστω σοι νόμος ἀπαράβατος. Hoc sensu etiam τάξις Μελχισεδὲκ, secundum quam Jesus factus est sacerdos, ἀπαράβατος dicitur, et verisimile est, auctorem, ἅπαξ λεγομένῃ voce ἀπαράβατος utentem, in animo habuisse istam ἀπαράβατον τάξιν Stoicorum, secundum quam, ut Seneca de Prov. 5. loquitur, omnia certa et in aeternum dicta lege decurrunt.

Caput nonum.

Ad vs. 14. Verba: Χριστὸς διὰ πνεύματος αἰωνίου ἑαυτὸν προσήνεγκεν ἄμωμον diversas interpretationes experta sunt. Varians lectio διὰ πνεύματος ἁγίου nota est, et testatur, πν. αἰώνιον a multis antiquioribus interpretibus habitum esse pro πν. ἁγίῳ. Neque video, cur aliam interpretationem cum multis recentiorum inire velimus, cum sit facillima et sensum bonum praebeat, et contextui et quoad sensum aliis S. S. locis accommodata sit.

Recentiores interpretes πνεῦμα αἰώνιον, quae lectio secundum regulas critices praeferenda est, modo naturam Christi divinam, modo conditionem excelsiorem seu statum exaltationis esse putant, eo sensu ut Christus secundum naturam suam vel conditionem sublimiorem se Deo tamquam victimam perfectam praesentaverit. Alii sub ista phrasi intelligunt *sacrificium aeternum*, salutares sine fine effectus habens, alii *aeternam Christi vitam*, quatenus victima Christi omnibus victimis praestet, cum is, qui eam obtulerat, in aeternum vivat (30).

Sed hae diversae inter se interpretationes argutiores sunt et multis difficultatibus laborant. Quaeri enim potest, quî fieri potuerit, ut Christus secundum naturam divinam se Deo victimam exhiberet? Chri-

---

(30) Rosenmüller in Scholiis ad hunc locum; qui nonnullis exemplis docet, πνεῦμα interdum pro ζωὴ poni. Wahl sub voce πνεῦμα notat, πνεῦμα αἰώνιον esse πν. ἅγιον. Kuinoel in *Comment.* ad h. l. novem diversas interpretum de hoc loco sententias recenset, et suam adjicit his verbis: » qui aeterna vi divina adjutus se victimam Deo obtulit," cui ego non possum subscribere.

stus victima fieri seu mori potuit non secundum divinam, sed humanam naturam, et auctor epistolae disertis verbis docet II, 14, Jesum assumsisse carnem et sanguinem, ut mori posset et morte sua τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου aboleret. Porro difficile dictu est, quomodo Jesus secundum statum exaltationis se Deo victimam perfectam exhibere potuerit? Status exaltationis sequebatur θυσίαν Christi, et tamquam praemium pro obedientia ejus erga Deum usque ad mortem in cruce describitur.

Et quid dicam de *sacrificio aeterno*, in aeternum valituro, quod vim (πνεῦμα) in aeternum valituram exserat! Longe petita est haec τοῦ πν. αἰωνίου explicatio.

Nec non explicatio hujus formulae de *vita aeterna* Christi, et hinc praestantia victimae ab eo oblatae derivanda, multis laborat difficultatibus, quamquam pro ea VII, 16 et 25. loqui videatur. Adversantur huic interpretationi maxime verba antecedentia vs. 12: διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος εἰςῆλθεν ἐφάπαξ εἰς τὰ ἅγια, αἰώνιον λύτρωσιν εὑράμενος, in quibus dicitur, non quoad vitam aeternam Christum intrasse in Sanctum Sanctorum et sempiternam redemtionem effecisse.

Si vero πνεῦμα αἰώνιον pro πνεῦμα ἅγιον positum esse statuamus, multae hujus loci difficultates evanescunt. Nam qui in S. S. vocatur πνεῦμα ἅγιον, is etiam aeternus describitur, et commode πν. αἰώνιον dici potest. Bonum etiam sensum praebet πν. αἰώνιον pro πν. ἅγιον sumtum; διὰ πν. ἁγίου sese Deo obtulit Jesus, id est, jussu et auctoritate Spiritus Sancti (cfr. Wahlius ad praeposit. διὰ pag. 273.), qui per prophetas V. T. (φερομένους ὑπὸ πνεύματος ἁγίου

2 Petr. I, 21.) decretum Dei de morte Messiae expiatoria patefecit, ita ut Jesus mortem cruentam subiens pro hominibus voluntati Dei obsequeretur. Haec interpretatio etiam sermoni contexto accommodata est. Jesus comparatur cum summo Judaeorum sacerdote, sacrificiis populum expiante. Sicut hic sacerdos non *pro lubitu* et ex *sua voluntate*, sed *secundum legem a Deo praescriptam*, ex voluntate Dei VIII, 4, 5. IX, 1, sacrificium pro populo expiando obtulit Deo; sic etiam Christus non pro lubitu et ex *sua tantummodo voluntate*, sed ex *voluntate Dei* διὰ πνεύματος ἁγίου patefacta se Deo obtulit victimam. Morte Christi θεοῦ ἐτελείετο βουλή. Huc quadrant etiam, quae X, 5 sqq. leguntur, ubi Messias loquens introducitur secundum Psalmum 40: Cum tibi, o Deus, holocausta et sacrificia piacularia non placeant, jam declaro, me esse paratum ad mandatum tuum exsequendum sicut in sacro volumine de me scriptum est (31). Praepositionem διὰ sensu a me posito adhiberi posse, patet ex Rom. II, 12:

---

(31) Ita vertunt hunc locum Morus et Schulz. Mandatum divinum, de quo in his verbis sermo est, pertinet ad mortem Christi, quod patet ex verbis σῶμα κατηρτήσω μοι vs. 5, ex quibus tota argumentatio hujus loci pendet. Hoc enim vult auctor: Jesu corpus datum est a Deo, ut ejus voluntatem exsequeretur; hanc Dei voluntatem exsecutus est oblatione corporis sui, διὰ τὴν προσφορὰν τοῦ σώματος. Lectio varians ὠτία, quamquam Hebraicis convenit, consilio auctoris prorsus contraria et falsa est. Morus tamen eam in sua versione expressit: » Opfer verlangest du nicht, aber zum Gehorsam hast du mich gewöhnet." Cfr. Hug ad hunc locum *Einleitung* Tom. II, 460, qui inde recte probat, nostram epistolam ab origine idiomate Graeco esse scriptam.

διὰ νόμου κριθήσονται, ubi διὰ idem est ac κατά. Cfr. Wahl Tom. I, 274.

Haec interpretatio διὰ πνεύματος αἰωνίου etiam aliis locis Scripturae sacrae accommodata est; nam quoties a Christo ipso dicitur, omnia, quae de se in libris prophetarum scripta sint, consummanda esse!

Sed jure quaeritur, cur auctor πνεῦμα ἅγιον contra omnem S. S. usum, πνεῦμα αἰώνιον nominaverit? Valde probabile est, auctorem hoc verbo ad εἱμαρμένην vel *fatum* Stoicorum respexisse, quod quidem ex decretis eorum a Deo diversum est, sed saepius etiam *Deus* et *spiritus Dei* vocatur. Diversum est, inquam, fatum a Deo; sic enim habet Seneca in libro de Prov. V: « Ille omnium conditor ac rector scripsit quidem fata, sed sequitur, semper paret, semel jussit." Sed saepius etiam fatum a Stoicis vocatur *Deus* vel *spiritus* quidam *Dei*. Seneca de Benef. IV, 7: « Quoties voles, inquit, tibi licet aliter hunc auctorem rerum et naturarum appellare; et Jovem illum optimum, maximum. Hunc eundem, si *fatum* dixeris, non mentieris. Nam cum fatum nihil aliud sit, quam series implexa causarum, ille est prima omnium causa, ex qua ceterae pendent." Chrysippus fatum esse dixit δύναμιν πνευματικὴν τάξει τοῦ παντὸς διοικητικὴν, *vim spiritualem ordine hoc universum gubernantem* (32). Idemque alio loco fatum dixit λόγον ἀΐδιον τῆς προνοίας (33). Seneca de

(32) Cfr. Lipsius *de Constantia* Lib. I, 18. hanc et sequentem definitionem fati e Gellii *N. A.* Lib. VI. profert.

(33) Cfr. Lipsius *Phys. Stoic.* Lib. I, 12. ubi ex Stobaeo his similia proferuntur.

Consol. ad Helviam VII: « Quisquis formator universi fuit, sive ille Deus est, potens omnium, sive incorporalis ratio ingentium operum artifex, sive divinus spiritus per omnia, maxima minima, aequali intentione diffusus, sive fatum et immutabilis causarum inter se cohaerentium series" cet. De Benef. IV: 8: « Si Deum vocas naturam, fatum, fortunam; omnia ejusdem Dei nomina sunt, varie utentis sua potestate. Si quid a Seneca accepisses, et Annaeo te diceres debere vel Lucio: non creditorem mutares, sed nomen; quoniam sive praenomen ejus, sive nomen dixisses, sive cognomen, idem tamen ille esset."

Πνεῦμα ἅγιον ergo a nostro dicitur πνεῦμα αἰώνιον, quoniam illius animo dogma de decretis Dei ab aeterno constitutis, scriptis ac pronuntiatis, vel dogma de *fato* obversabatur, et quoniam inter fatum, quod a *fando* vel *pronuntiando* (decreta divina) nomen habet, et inter Spiritum Sanctum, divina decreta per nonnullos homines promulgantem, similitudo quaedam intercedit.

Christus *se obtulit Deo victimam* διὰ πν. αἰων. i. e. non pro lubitu, non ex propria voluntate, sed voluntati Dei per S. S. patefactae obsequens. In libro de Prov. V, Seneca dicit. Hanc animosam Demetrii fortissimi viri vocem audisse memini: « Hoc unum, inquit, Dii immortales, de vobis queri possum, quod non ante mihi voluntatem vestram notam fecistis. Prior enim ad ista venissem, ad quae nunc vocatus sum." Jesus ab auctore nostro quasi meliori conditione obtemperasse Deo et passus esse mortem dicitur in eo, quod sciret τὸ θέλημα θεοῦ, ipsi patefactum διὰ πν. ἁγ. ἐν κεφαλίδι βιβλίου, quasi in volu-

mine fatorum, in quo cujusque fata scripta sunt Ps. CXXXIX, 16. Hinc non vocatus, sed prior ad mortem subeundam adfuit, hinc dicere potuit: ἦκω τοῦ ποιῆσαι, ὁ θεός, τὸ θέλημά σου.

In vs. 27 leguntur haec: Καθ' ὅσον ἀπόκειται τοῖς ἀνθρώποις ἅπαξ ἀποθανεῖν, μετὰ δὲ τοῦτο κρίσις. Schulz in nota 28 ad hunc locum κρίσιν in sensu deteriore sumendam esse putat, ut sit idem, quod κόλασις αἰώνιος; cui Wahlius etiam in *Clavi* sub hac voce adstipulatur, et Böhme in l. l. p. 445. Quamquam lubenter largior, hoc sensu deteriore vocem κρίσις in N. T. et in Epistola ad Hebraeos (X, 27, 30) reperiri, hoc tamen loco ob contextum sensu latiori accipienda esse videtur. Comparatio ab auctore instituitur his verbis: Quemadmodum in fatis hominum est, semel tantum mortem, tum vero κρίσιν, judicium subire; ita Christus, postquam semel oblatus est ad tollenda multorum peccata, secunda vice *hominibus ipsum expectantibus* apparebit, nequaquam ut peccata eorum expiet, sed salutem iis largiatur. Si sub voce κρίσις sententia condemnatoria et κόλασις intelligenda esset; ita comparationem inter homines morti et judicio obnoxios et Christum instituere debuisset auctor, ut diceret: Jesus prima vice apparuit hominibus, ut se victimam offerret, secunda vice apparebit, ut homines refractarios puniat. Ergo κρίσις secundum contextum latiori sensu accipienda est, ut judicium, quod hominibus post mortem subeundum est, in universum denotet, cujus consequens et praemia aeterna et poenae aeternae sunt, ita ut dies mortis pro *decretorio die*, a quo sors cujusvis pen-

deat, habeatur (54). Multum Seneca etiam de die mortis tanquam die decretorio loquitur. Epist. 26: « Ita me, inquit, observo et alloquor, velut appropinquet experimentum et ille *laturus sententiam* de omnibus annis meis *dies* venerit. — Remove existimationem hominum; dubia semper est et in partem utramque dividitur. — Mors de te pronuntiatura est. Quid egeris, tunc apparebit, quum animam ages. — Accipio conditionem, non reformido judicium." Multo evidentius de morte tanquam decretorio die, et ad dogmata Religionis Christianae accommodatissime, scribit in Epist. 102: « Cum venerit ille dies, qui mixtum hoc divini humanique secernat, corpus hoc, ubi inveni, relinquam: ipse me Diis reddam. — Per has mortalis aevi moras illi meliori vitae longiorique proluditur. Quemadmodum novem mensibus nos tenet maternus uterus, et praeparat non sibi, sed illi loco, in quem videmus emitti; — sic per hoc spatium, quod ab infantia patet in senectutem, in alium matu escimus partum. Alia origo nos expectat, alius rerum status. Nondum coelum, nisi ex intervallo pati possumus. Proinde intrepidus *horam illam decretoriam* (*κριτικὴν*) prospice: non est animo suprema, sed corpori. Quicquid circa te jacet rerum, tamquam *hospitalis loci sarcinas* (*ὄγκον*) specta: transeundum est. Excutit *redeuntem* natura, sicut

(54) Ipse Schulzius lib. laud. p. 95. contendit, in epistola nostra non sermonem esse de resurrectione corporum olim futura et judicio extremo hanc subsecuturo, et *πνεύματα δικαίων* in coelis commorantia cogitari, ideoque mortem cujusvis tanquam decretorium diem poni. Kuinoel ad h. l. meae sententiae suffragatur.

intrantem. Non licet, plus *efferre*, quam *intuleris*: immo etiam ex eo, quod in vitam attulisti, pars magna ponenda est. Detrahetur tibi haec circumjecta, novissimum velamentum tui, cutis, detrahetur *caro* et *suffusus sanguis* discurrensque per totum (*αἷμα καὶ σὰρξ*). — Dies iste, quem tamquam extremum reformidas, aeterni natalis est. Depone onus; quid cunctaris, tanquam non prius quoque, relicto, in quo latebas, corpore exieris. Haeres et reluctaris; tum quoque magno nisu matris expulsus es. Gemis, ploras: et hoc ipsum flere nascentis est. Sed tunc debebat ignosci; rudis et imperitus omnium veneras; ex maternorum viscerum calido mollique fomento emissum afflavit aura liberior. Deinde offendit durae manus tactus; tener adhuc et nullius rei gnarus obstupuisti inter ignota. Nunc tibi non novum est, separari ab eo, cujus ante pars fueris. Aequo animo membra jam supervacua dimitte, et istud corpus diu inhabitatum pone. Scindetur, obruetur, abolebitur. Quid contristaris? Ita solet fieri. Pereunt semper velamenta nascentium. — Veniet, qui te revelet dies. Aliquando naturae tibi arcana retegentur, discutietur illa caligo et lux undique clara percutiet. — Tunc in tenebris vixisse dices, cum totam lucem adspexeris, quam nunc per angustissimas oculorum vias obscure intueris, et tamen admiraris tam procul. Quid tibi videbitur divina lux, cum illam suo loco videris? Haec cogitatio nihil sordidum animo subsidere sinit; Deos omnium rerum testes esse ait, illis in aeternum parari jubet et aeternitatem proponere."

Non poenitebit lectorem, hunc Senecae locum ac-

curatius perpendere; auctor in eo sibi dissimilis est, alias in dogmate de animorum immortalitate dubius haeret, hoc loco vero de ea certissimus esse videtur, eamque accommodate ad Pauli doctrinam docet. Aut interpolata est haec epistola Senecae, aut scripta ab eo, cum dogmata Christianorum cognovisset et ad tempus approbasset (35).

Caput decimum.

Ad vs. 32 sqq. Auctor alloquitur Christianos Hebraeos: *πολλὴν ἄθλησιν ὑπεμείνατε παθημάτων — τὴν ἁρπαγὴν τῶν ὑπαρχόντων ὑμῶν μετὰ χαρᾶς προσεδέξασθε, γινώσκοντες ἔχειν ἐν ἑαυτοῖς κρείττονα ὕπαρξιν ἐν οὐρανοῖς καὶ μένουσαν.* — Similia leguntur in Seneca de Providentia, ut jam supra monui: « Verberat nos et lacerat fortuna (Deus)? Non est saevitia, *certamen* est. Opus est ad notitiam sui experimento." C. VI. Deus loquens introducitur ad bonos dura patientes: « Quid habetis, quod de me queri possetis vos, quibus recta placuerunt. Isti, quos pro felicibus aspicitis, (intus) sunt sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti. Non est ista solida et sincera felicitas, crusta est et quidem tenuis. Vobis dedi *bona certa*, *mansura*, quanto magis versaveritis et undique inspexeritis *meliora* majoraque. Non fulgetis intrinsecus; bona vestra introrsus obversa sunt. Intus omne posui bonum: non egere felicitate, felicitas vestra est. Ferte (igitur) fortiter, cet."

(35) Ad tempus, inquam, approbavit. Dubitationes denuo exortae sunt, mansit in hac re dubius et Stoicae philosophiae addictus usque ad mortem.

Caput undecimum.

Vs. 6 dicitur: *Χωρὶς πίστεως ἀδύνατον εὐαρεστῆσαι (θεῷ)· πιστεῦσαι γὰρ δεῖ τὸν προσερχόμενον τῷ θεῷ, ὅτι ἐστὶν, καὶ τοῖς ἐκζητοῦσιν αὐτὸν μισθαποδότης γίνεται.*

Ita fere Seneca Epist. 95: « Primus est Deorum cultus Deos credere, deinde reddere illis majestatem suam; scire illos esse, qui praesident mundo, qui humani generis tutelam gerunt, interdum curiosi singulorum. Hi nec dant malum, nec habent; caeterum castigant quosdam et coërcent et irrogant poenas, et aliquando specie boni puniunt. Ita et Epictetus c. 38, secundum quem religionis haec summa est: *ὀρθὰς ὑπολήψεις περὶ θεῶν ἔχειν ὡς ὄντων καὶ διοικούντων τὰ ὅλα καλῶς καὶ δικαίως* (36).

---

(36) Vox *πίστις*, de cujus significatione in nostra Epistola in diversa abeunt interpretes (cfr. Schulz l. c. 111—115. Bleek T. I, 310.) explicanda mihi videtur secundum definitionem ab auctore ipso propositam. *Πίστις*, inquit, est certa exspectatio eorum, quae sperantur (quae a Deo promissa sunt), et firma persuasio de iis, quae non cernuntur.

Secundum hanc definitionem vox *πίστις* latiorem habet ambitum, non continet solum fidem strictiori sensu dictam, e. g. fidem in Deum, Christum ejusque doctrinam et merita, sed etiam *ἐλπίδα*, quae alias a Paulo tanquam peculiaris virtus laudatur 1 Cor. XIII, 13. Auctor epistolae hanc *πίστεως* partem vel *ἐλπίδα* in cap. XI. uberius tractat et suis lectoribus commendat, ita tamen, ut haec *ἐλπὶς*, ut alias *πίστις*, pios inde oriundos sensus involvat. Quamobrem non video, cur *πίστις* hoc sensu in cap. XI. tractata documento sit, epistolam nostram non a Paulo profectam esse. Cfr. Morus in praefatione ad versionem hujus epistolae XIV sqq.

Böhme ad hunc locum et Wahlius ob rationes grammaticas vertenda esse verba v. 1 censent: » Es giebt aber einen Glauben"; ita ut sequentia non definitionem *πίστεως* contineant, sed per appositionem

Vs. 3 hujus capitis: *πίστει νοοῦμεν κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι θεοῦ, εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι*, non obscure indicat, auctorem ad decreta Stoicorum per *ἀντίθεσιν* respexisse. Particula *μὴ* enim nequaquam ad *φαινομένων* referenda est, ut nonnulli volunt, e. g. Rosenmüllerus in Scholiis ad h. locum. Haec enim metathesis particulae *μὴ* plane insolita est, et locus 2 Maccab. VII, 28: *ὅτι οὐκ ἐξ ὄντων ἐποίησεν αὐτὰ θεός*, ex quo usum ejusmodi transpositionis particulae *μὴ* comprobare voluerunt, ob variam lectionem incertus est, cum plurimi codices legant: *ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐποίησεν αὐτὰ θεός*. Auctor nostrae epistolae hoc dicere vult. Fide intelligimus, mundum solo verbo et voluntate Dei creatum esse, ita ut quae jam in mundo cernuntur, nequaquam orta sint ex chao, quod vocant, ex visibili quadam massa, speciem aliquam *τοῦ εἶναι* habente, rudi et indigesta mole, quae non revera extitit, sed phantasma tantummodo de origine mundi philosophantium fuit. Uno verbo contendit auctor, mundum *ex nihilo* factum esse *ῥήματι θεοῦ* (37), et ita per *ἀντίθεσιν* respicit ad decreta Stoicorum, qui, sicut etiam alii philosophi

---

adjuncta sint, hoc fere sensu: » Es giebt einen Glauben der darin bestehet, das man etc." Hanc interpretationem si admittimus, intelligitur, notionem vulgarem *πίστεως* auctori epistolae nequaquam incognitam fuisse, sed ea consulto non uti voluisse, et maxime *ἐλπίδα*, tamquam speciem *πίστεως*, tractasse, quoniam haec tractatio *πίστεως* minus offenderet Hebraeos, iisque, multa ob religionem Christianam passis, valde utilis esset.

(37) Fortasse hac formula auctor respexit ad *νὸν θεοῦ λόγον*, per quem Deus omnia fecisse dicitur Hebr. I, 2. 3.

Graeci statuerunt, ut supra ostendimus, mundum factum esse ex aeterna quadam materia, passiva vel proprie sic dicta *materia* vel ὕλη, et activa vel *anima mundi*. Seneca in libro de Providentia cap. V. hujus Stoicorum dogmatis mentionem facit his verbis: « Quare Deus tam iniquus fuit, ut bonis viris paupertatem, vulnera et acerba funera adscriberet? Non potest artifex mutare materiem: haec passa est, (ut formaretur in id, quod fieri potuit; cfr. Ruhkopf ad h. l.). Quaedam separari a quibusdam non possunt, cohaerent, individua sunt." In Epist. LXV haec leguntur: « Stoici nostri dicunt, duo esse in rerum natura, ex quibus omnia fiant, materiam et causam. Materia jacet iners — causa autem, id est, ratio (anima mundi) format materiam. Esse debet ergo, unde aliquid fiat, deinde a quo fiat." Cfr. Natur. Quaest. Lib. I. Praef., ubi quaeritur: « num Deus materiam ipse sibi formet, an data utatur?" Posterius statuebant Stoici. Schulz Lib. I. p. 231 ad h. locum notat haec: « Ob und wiefern unser Verfasser auf bestimmte philosophische Meinungen über die Weltschöpfung Rücksicht genommen habe, müssen wir dahin gestellt seyn lassen." Mihi quidem ex his, quae jam dicta sunt et infra dicentur, hoc non dubium est.

Vs. 10 haec leguntur: Ἐξεδέχετο τὴν τοὺς θεμελίους ἔχουσαν πόλιν, ἧς τεχνίτης καὶ δημιουργὸς ὁ θεός. Id est, *expectavit civitatem firmo fundamento innixam, cujus opifex et conditor est Deus*, i. e. expectavit sedes coelestes. Ad hunc versum primo notandum est, *coelum* a Stoicis κατ' ἐξοχὴν πόλιν seu *civitatem* dici, cum alias totus mundus apud eos nomine civitatis,

quae homines et Deos complectitur, audiat. Lipsius in *Physiologia Stoicorum* Lib. II, 7. citat locum e Clementis Alex. Strom. IV in fine: *Λέγουσιν οἱ Στωϊκοὶ τὸν μὲν οὐρανὸν κυρίως πόλιν, τὰ δὲ ἐπὶ γῆς λέγεσθαι μὲν πόλεις, οὐκ εἶναι δέ* (38).

Deinde vocem *δημιουργὸς*, quae nusquam alias in N. T. legitur, esse apud Stoicos usitatissimam Dei conditoris mundi appellationem, res est notissima (39).

Quae vs. 13 de patriarchis dicuntur, quod, cum in hac vita non nanciscerentur bona promissa, sed eminus praestolarentur, confessi sint, *ὅτι ξένοι, καὶ παρεπίδημοί εἰσιν ἐπὶ τῆς γῆς*, ea quidem dictis V. T. Gen. XXIII, 4; XLVII, 9 conveniunt, verum etiam in scriptis Senecae habent similia. Epist. 102: « Quicquid circa te jacet rerum, tamquam *hospitalis loci* sarcinas specta. — Animus humanus non humilem accipit patriam, Ephesum aut Alexandriam, aut si quod est etiamnum frequentius incolis, latius tectis solum. Illi patria est, quodcunque suprema et universa ambitu suo cingit; hoc omne convexum, intra quod disposita tot numina in actus suos excubant. » Haec est *πατρὶς*, quam patriarchae quaerunt vs. 14. cfr. XIII, 14. In Epist. 120: « Magnus animus, conscius sibi melioris naturae, dat quidem operam, ut in hac statione, qua positus est, honeste se atque industrie gerat; caeterum nihil horum, quae circa

(38) Etiam, quae sequuntur in loco Clementis allato, notatu digna sunt. In edit. Coloniensi, quam in promtu habeo, p. 543, C. ea quaerenda sunt.

(39) Cfr. Diog. Laërt. lib. VII, 72: (Dicunt Stoici) *θεὸν εἶναι δημιουργὸν τῶν ὅλων καὶ ὥσπερ πατέρα πάντων.*

ipsum sunt, suum judicat, sed ut *commodatis* utitur *peregrinus* et properans.

Moses, secundum vs. 27, *τὸν ἀόρατον ὡς ὁρῶν ἐκαρτέρησε.* Argutiarum Rabbinicarum fautores *τὸν ἀόρατον* putant esse Christum. Contextus repugnat: *Ὀνειδισμὸς Χριστοῦ* est contumelia similis illi, quam Christus expertus est. XIII, 26. *Ἀόρατος* est potius Deus invisibilis, *ὡς ὁρῶν ἐκαρτέρησε*, quasi videns firmiter tenuit fide Deum invisibilem. Haec verba vel referenda sunt ad rubum ardentem, ex quo Deus cum Mose loquebatur, et per quem Moses *τὸν ἀόρατον ὡς ὁρῶν ἐκαρτέρησε* Exod. III (40); vel ad disputationes philosophorum de Deo ex mundo cognoscendo. Seneca Natur. Quaest. VIII, 30 haec habet: « Deus, qui condidit et fundavit hoc totum et circa se dedit, effugit oculos et sola cogitatione visendus est." Sic et Paulus ad Rom. I, 20: *Τὰ ἀόρατα θεοῦ — τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται.*

Caput duodecimum.

De voce *ὄγκος* jam in parte primâ capitis primi meae tractationis verba feci, illique Latinorum *onus* vel *sarcinas* respondere ostendi. Cum hac voce verba *εὐπερίστατος ἁμαρτία* nexa esse et peculiare quoddam peccatum vel vitium indicare videntur. Vox *εὐπερίστατος*, nusquam, neque in N. T., neque in versione *τῶν* LXX, neque in profanis scriptoribus occurrens, varie explicatur. Accommodate ad etymolo-

(39) Verba enim v. 27. *Κατέλιπεν Αἴγυπτον* referenda sunt ad exitum Israëlitarum ex Aegypto, Mose duce.

giam, quam in definienda hujus vocis significatione solam ducem habemus, εὐπερίστατος notat: *confertim* vel *facile nos cingens* (41). Jam si, quod verisimile est, nexum inter vocem ὄγκος et εὐπερίστατος ἁμαρτία esse ponamus, ἁμαρτία εὐπερίστατος est habendi ea, quae sunt ὄγκος, cupido vel avaritia, quippe quae facile homines occupat vel facile ad multa peccata irritat, ῥίζα πάντων τῶν κακῶν, 1 Tim. VI, 9. cfr. XIII, 5, et quae maxime ad ἀγῶνα προκείμενον nos impeditos reddit. Seneca de Prov. 6: « Deus a bonis viris removit cogitationes improbas et avida consilia et libidinem coecam et alieno imminentem avaritiam." Epist. 20: « Multum est, non corrumpi divitiarum contubernio." De Vita beat. 17: « Si omnia alia, quibus angimur, compares cum iis, quae mala nobis pecunia exhibet, haec pars multum praegravabit." Τὸν ἀγῶνα προκείμενον τρέχωμεν δι' ὑπομονῆς. Frequenter comparant Stoici vitam cum certamine et militia. In Stoico aliquo apocrypho, qui inscribitur Altercatio Hadriani et Epicteti, imperator interrogat: Cur mortuus coronatur? Epictetus respondet: Agonem vitae se transegisse testatur. Seneca Epist. 51:

(40) Diogenes Laërt. VIII, 5. de Zenone dicit: » Contulit se in porticum variam, quae et Pisianactium vocatur, ob picturas Polygnoti variam, ibique sermones habuit, cupiens locum ἀπερίστατον reddere." Secundum contextum sensus est: Cupiens locum, hactenus ob caedem mille quadringentorum civium a triginta tyrannis perpetratam, solitarium, sermonibus suis frequentem reddere. Sic etiam vox ἀπερίστατος in editione Laërtii 1759. Lipsiae versa est. Sed vera et etymologica significatio vocis ἀπερίστατος est: *desertus, nulla circumstantium corona cinctus.* Fortasse hoc loco legendum est: εὐπερίστατος, vel τὸ ἀ privativum in illa voce habet vim intensivam.

« Militandum est nobis, et quidem genere militiae, cui nunquam quies et otium datur." Epist. 96: « Vivere est militare." In toto libro de Providentia viri boni adversa patientes cum fortuna colluctantes describuntur et cum athletis comparantur. Consol. ad Marc. 24: « Grave animo certamen cum hac carne."

Ad vs. 2. Ἀφορῶντες εἰς τὸν τῆς πίστεως ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν Ἰησοῦν κ. τ. λ.

Seneca Epist. 11: « Aliquis vir bonus nobis eligendus est ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectando vivamus. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cujus auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem illum, qui non adspectus tantum, sed etiam cogitatus emendat. O felicem, qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque ejus se componat atque ordinet! Qui sic aliquem vereri potest, cito erit verendus. — Opus est, inquam, aliquo, ad quem mores nostri se ipsi exigant." Epist. 52: « Nemo per se satis valet, ut emergat: oportet, manum aliquis porrigat, aliquis educat. Itaque aliquorum invocemus auxilium. Quem, inquis, invocabo? hunc aut illum? — Adjuvare nos possunt non tantum, qui sunt, sed et qui fuerunt." Seneca eum, quem ad mores ejus imitandos eligere debemus, *custodem* et *paedagogum*, Epist. 11; auctor noster Jesum, cujus exemplum intueri et imitari debemus, nominat ἀρχηγὸν et τελειωτὴν, i. e. eum, qui nos ad perfectionem dux antesignanus ducit, qui nominatim fidei perfectissimum exemplum est, quatenus fidem Deo ab initio usque ad exitum praestitit. Ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς, ὑπέμεινε σταυρὸν Lutherus vertit: « Welcher, da er wohl hätte mögen

Freude haben, erduldete er das Kreusz etc." Sed ἀντὶ significat pretium, *pro quo*, sicut in versu 16: Ἡσαῦ ἀντὶ βρώσεως μιᾶς ἀπέδοτο τὰ πρωτοτόκια αὐτοῦ. Cfr. Wahlius pag. 90.

Laudatur fides Jesu respectu ad ea, quae ad fidem commendandam in capite superiori dixerat. *Pro* gaudio proposito, illo scilicet, quod mox aditurus erat et quod fide firmissima sperabat, crucem sustinuit et contumeliam cum cruce conjunctam despexit. Neque spes et fides ejus eum fefellit, in dextra throni Dei consedit. Cfr. I, 3; II, 9. Sic et Seneca Epist. 98: « Hoc est philosophiam discere et ad verum exerceri: videre quid homo prudens animi habeat contra mortem, contra dolorem, cum illa accedat, hic premat. Quid faciendum sit, a faciente discendum est." De Prov. 2: « Mors illos consecrat, quorum exitum et qui timent laudant." c. 3: « Quanto plus tormenti, tanto plus erit gloriae."

Ad vs. 8. Jam supra notavimus in parte prima hujus capitis, νόθους esse *servos*, *vernulas*. Addam illud Epicteti apud Arrianum: Μόνους τοὺς παιδευθέντας ἐλευθέρους εἶναι. Cfr. Arrianus Epictet. I, 12.

Ad vs. 9. Εἰ δὲ τοὺς μὲν τῆς σαρκὸς ἡμῶν πατέρας εἴχομεν παιδευτὰς, καὶ ἐνετρεπόμεθα· οὐ πολλῷ μᾶλλον ὑποταγησόμεθα τῷ πατρὶ τῶν πνευμάτων καὶ ζήσομεν; Multi fuerunt interpretes in definiendo, quatenus Deus in hoc loco *pater spirituum* nominetur. Lutherus, ut notum est, vertit: « dem geistlichen Vater," oppositе ad patres proprie sic dictos, quibus secundum ordinem naturae vitam debemus, qui nos κατὰ σάρκα genuerunt, ut sensus sit: Si patres nostros, quibus Deus tantummodo instrumentis usus est ad vitam no-

bis impertiendam, castigatores habuimus eosque reveriti sumus; nonne potius Deum, verum vitae nostrae auctorem et patris nostri nomine dignissimum, non corpore quidem praeditum et visibilem, sed spiritualem patrem, debita pietate et obsequio prosequamur? Vel etiam: Si patres nostros, quibus hanc tantum vitam, quam cum animalibus habemus communem, debemus, reveriti sumus; nonne potius Deum, qui ἀπεκύησεν ἡμᾶς λόγῳ ἀληθείας εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς ἀπαρχήν τινα τῶν αὐτοῦ κτισμάτων, Jac. I, 18, obsequio colamus?

Quo minus priorem sensum admittamus, obstat phrasis τῆς σαρκὸς ἡμῶν; nam *patres carnis nostrae* non sunt patres nostri κατὰ σάρκα. Posteriori sensui, sicut etiam priori, obstat phrasis πατὴρ τῶν πνευμάτων; haec enim non spiritualis vitae, sed spirituum auctorem Deum esse indicat.

Schulz lib. laud. p. 96 et 248, not. 9, putat πατέρας σαρκὸς ἡμῶν oppositos esse τῷ πατρὶ πνευμάτων, et post πνευμάτων supplendum esse ἡμῶν, ut patres nostri cogitentur ut auctores corporis nostri, Deus vero ut auctor nostri animi. Sed obstat pluralis πνευμάτων. Si, quod Schulzius vult, auctor dicere voluisset; opposite ad singularem σαρκὸς, singularem etiam πνεύματος posuisset et ἡμῶν adjecisset, cujus omissio valde dura ellipsis esset (42).

---

(42) Schulz l. c. provocat ad 4 Mos. XXVII, 16, ubi Deus nominatur θεὸς τῶν πνευμάτων. Sibi ipse non constans dicit p. 96: „Zu πατρὶ τῶν πνευμάτων ist ἡμῶν zu ergänzen, wie sich von selbst versteht.". In annotatione ad h. l. vero addit: „nicht entschieden ist, ob man auch bey πνευμάτων mit ἡμῶν ausfüllen soll."

Morus in notis Versioni Germanicae hujus epistolae subjunctis ita sentit de hoc loco: « Sollte nicht der Worte *Väter des Fleisches* und *Väter der Geister* so zu bestimmen seyn: Väter für den Leib (das Irdische, Aeuszerliche, Dinge des Lebens, wofür sie sorgen sollen), Väter für unsre Selen, für das wahre, ewig dauernde Wohl der Sele, wofür er sorget und sorgen will, Erzieher der Sele zum ewigen Wohl.". Sed vix loquendi usus hunc sensum admittit, neque si admitteret, commodus est. Nam patrum est, non curare solum corpus liberorum sed et animum, et pater coelestis providet non animo solum, sed etiam corpori.

Böhme in notis ad h. l. negans de vulgari corporis et animi oppositione sermonem esse, πνεύματα esse putat δικαίους τετελειωμένους vs. 23, manes: cfr. 1 Petr. III, 19; Apoc. XXII, 6 (secundum lectionem πνευμάτων) idque comprobari verbis additis καὶ ζήσομεν. Num haec explicandi ratio bonum sensum praebeat et ex rationibus exegeticis admitti queat, aliis dijudicandum relinquo.

Mihi quidem auctor videtur verbis πατὴρ τῶν πνευμάτων nihil aliud dicere voluisse quam πατὴρ ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, οὐράνιος, ἐπουράνιος, et hanc Dei in N. T. frequentissimam appellationem exquisitius verbis in scholis philosophorum obviis expressisse. Πατὴρ τῶν πνευμάτων idem est ac πατὴρ τῶν φώτων, παρ' ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα, Jac. I, 17, ubi φῶτα sunt sidera, quae Stoici animata et spiritus esse putabant, quippe ἀποσπάσματα Dei, tamquam naturae igneae. Zeno apud Stobaeum ait, τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην καὶ τῶν ἄλλων ἄστρων ἕκαστον εἶναι νοερὸν καὶ

φρόνιμον πυρινὸν πῦρ. Augustinus de Civ. Dei IV, 11. de Stoicis refert: « Dicunt omnia sidera partes Jovis (Dei) esse; et omnia vivere atque rationales animas habere. » VII, 6: « Dicunt astra et stellas aethereas animas esse. » Cfr. Lipsius *Physiol. Stoic.* II, 14. Hinc multi interpretes *πατὴρ τῶν φώτων* Jac. I, 17, verterunt *pater spirituum.* Auctor ergo noster Deum nominans *patrem spirituum* idem dicit, quod Jacobus vocans Deum *patrem siderum*, et ita *patrem coelestem τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς* describere vult, opposite ad *τῆς σαρκὸς ἡμῶν πατέρας*, i. e. *patres terrestres*, qui sunt secundum naturae leges auctores *τῆς σαρκὸς ἡμῶν*, vitae nostrae *ἐν τῇ σαρκὶ*, auctores vitae hujus brevi perituraе mox ipsi perituri. Opponuntur *patres terrestres* et *pater coelestis*, quatenus hic est aeternus, illi morti obnoxii, hic nos ad aeterna praeparat et educat, illi ad *ὀλίγας ἡμέρας*, hic errare nescius *πρὸς τὸ συμφέρον*, illi saepe vanis opinionibus indulgentes nos *παιδεύουσι.*

Si hanc hujus loci interpretationem admittimus, Stoici quid illi inest, quod et testatur vox *ὑποστάττεσθαι*, quae Stoicis solennis est, quum de obsequio Deo praestando verba faciunt (45). Seneca de Prov. I. Deum nominans *parens ille magnificus*, simile quid cogitasse videtur ac noster auctor vocans Deum *πατὴρ τῶν πνευμάτων.* Memorabile est, auctorem nostrum hoc unico loco Deum dicere patrem, et quidem non *patrem nostrum*, sed patrem *πνευμάτων*, quia ipsi *pater spirituum* sensu supra dicto multo magni-

(43) Arrianus Epict. I, 12: *Καλὸς καὶ ἀγαθὸς τὴν αὐτοῦ γνώμην ὑποτάττει τῷ διοικοῦντι τὰ ὅλα.*

licentior quam *pater noster* visus est, quippe non solum homines, sed et omnes in toto universo naturas ratione praeditas complectens.

Ad vs. 22. Προσεληλύθατε Σιὼν ὄρει καὶ πόλει θεοῦ ζῶντος, Ἱερουσαλὴμ ἐπουρανίῳ καὶ μυρίασιν ἀγγέλων, πανηγύρει καὶ ἐκκλησίᾳ πρωτοτόκων ἐν οὐρανοῖς ἀπογεγραμμένων, καὶ κριτῇ θεῷ πάντων, καὶ πνεύμασι δικαίων τετελειωμένων, κ. τ. λ.

Πόλιν θεοῦ *civitatem Dei* vel *coelum* a Stoicis dici, jam supra ostendi. Haec πόλις dicebatur πόλις ἀνωτάτη, ἧς αἱ πόλεις λοιπαὶ ὥσπερ οἰκίαι εἰσίν. Cfr. Anton. III, 9. In hac civitate erant οὐσίαι μεταξὺ θεοῦ καὶ θνητοῦ, daemones, genii, deinde « alicujus meriti animae defunctorum " Augustinus de Civitate Dei X, 21. cfr. VII, 6; ὑπολελειμμέναι σπουδαίων ψυχαὶ, Laërt. VII, 151; κεχωρισμέναι ψυχαὶ τῶν σωμάτων secundum Plutarchum (cfr. Lipsius *Phys. Stoic.* I, 18) quas etiam heroës vocabant; et Deus ipse. Cfr. Lipsius *Phys. Stoic.* I, 8.

Secundum haec Stoicorum dogmata Seneca de Consolatione ad Marciam 25 dicit: « Non est, quod ad sepulcrum filii tui curras, o Marcia; pessima ejus et ipsi molestissima istic jacent ossa cineresque; non magis illius partes, quam vestes aliaque tegumenta corporum. Integer ille nihilque in terris relinquens fugit et totus excessit —; ad excelsa sublatus inter felices animas currit, excipitque illum coetus sacer Scipiones, Catones, utique contemtores vitae et mortis beneficio liberi. Parens tuus illic nepotem suum, quamquam illic omnibus omne cognatum est, applicat sibi, nova luce gaudentem et vicinorum siderum meatus docet: nec ex conjecturis, sed omnium ex

verò peritus, in arcana naturae libens ducit —. Sic itaque, Marcia, te gere, tamquam sub oculis patris filiique posita, non illorum, quos noveras, sed tanto excellentiorum et in summo locatorum; erubesce tuos in melius mutatos flere. — Puta, ex illa arce coelesti patrem tuum — dicere: Cur te, filia, tam longa tenet aegritudo? Cur inique actum — judicas cum filio tuo, quod ad majores suos se recepit? "

Sic etiam Lucanus, fratris Senecae, Annaei Melae filius, Stoicae philosophiae, sicut patruus, addictus, Pompeji animum, post combustum in rogo corpus, altiora petentem describit Pharsal. IX, 1—9:

At non in Pharia manes jacuêre favilla,
Nec cinis exiguus tantam compescuit umbram;
Prosiluit busto, semiustaque membra relinquens
Degeneremque rogum, sequitur convexa Tonantis,
Qua niger astriferis connectitur axibus aër,
Quaque patet terras inter lunaeque meatus,
Semi dei manes habitant, quos ignea virtus,
Innocuos vita, patientes aetheris imi
Fecit, et aeternos animam collegit in orbes.

Cum nuspiam alias in N. T., ne excepta quidem Apocalypsi, sedes beatorum, myriadibus angelorum et humanarum animarum repletae, Dei ipsius et Jesu Christi domicilium, ita describantur, ut in hoc loco, et similes descriptiones Domicilii coelestis ab omnibus sanctitatis vitae studiosissimis olim inhabitandi apud Stoicos et alios philosophos ethnicos reperiantur (44): verisimillimum est, auctorem nostrum in

(44) Notum est, in Somnio Scipionis, in Consolatione, quae Ciceroni adscribitur, et in Platonicorum scriptis similia reperiri.

hoc loco dogmata ethnicae Philosophiae ante oculos habuisse.

Δίκαιοι τετελειωμένοι. Jam supra annotavi vocem « τετελειωμένοι" Stoicis esse peculiarem, et denotare homines virtutis exactae opponique *inchoatis*. Seneca Epist. 71: « Itaque *inchoatus*, ad summa procedens cultorque virtutis, etiamsi appropinquet perfecto bono, sed ei nondum summam manum imposuit, — interim cessabit et remittet aliquid ex intentione mentis; nondum enim incerta transgressus est: beatus vero et *virtutis exactae*, (τετελειωμένος) metuenda caeteris non tantum fert, sed et amplexatur." Fortasse ad hanc distinctionem Stoicam inter inchoatos et τετελειωμένους referendum est, si Jesus nominatur ἀρχηγὸς et τελειωτὴς, Hebr. XII, 2; II, 10.

Verba μετὰ αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας vs. 29. Stoicorum placitis convenire, jam supra ad Cap. V, 7. uberius docui, necnon verba vs. 29: Θεὸς ἡμῶν πῦρ κατανάλισκον respondere Stoicis: Θεὸς (πνεῦμα πυροειδὲς) ἐστὶν ἀναλίσκων εἰς ἑαυτὸν τὴν ἅπασαν οὐσίαν. Cfr. Lips. *Phys. Stoic.* II, 22. Vox εὐαρέστως etiam, quae hoc loco solo in N. T. legitur, conjuncta cum verbis θεῷ λατρεύωμεν, Stoicis frequentata est, cum de homine Deo se submittente, et in voluntate Dei acquiescente loquuntur. Plura infra ad vs. 16.

Caput tertiumdecimum.

Ad vs. 4. Τίμιος ὁ γάμος ἐν πᾶσι κ. τ. λ. Vox γάμος hoc unico N. T. loco habet significationem *matrimonii, conjugii*. Sensus est: Conjugium inter

omnes honoretur; vel potius: Conjugium omni ex parte, quovis respectu, ἐν πᾶσι (cfr. vs. 18. et Wahl T. II, 274.) honore dignum est, nec lectus conjugalis habet, quae recte reprehendantur (ἡ κοίτη ἀμίαντος). Videntur auctori obversatae esse causae plures, ex quibus matrimonium maximopere commendandum et honorandum sit. Non ab instituto meo alienum erit, annotare, quod Seneca librum de Conjugio scripserit, qui vero aetatem nostram non tulit. Cfr. Lipsius in Vita Senecae X. editioni operum Senecae praemissa.

Ad vs. 5. Ἀφιλάργυρος ὁ τρόπος· ἀρκούμενοι τοῖς παροῦσι. Stoici saepissime praecipiunt, ut παροῦσι contenti simus. Anton. X, 1: « Ecquando, o anima, ἀρκεσθήσῃ τῇ παρούσῃ καταστάσει καὶ ἡσθήσῃ τοῖς παροῦσι καὶ συμπείσεις σεαυτὴν, ὅτι πάντα σοι πάρεστι." Lib. VII, 54: Πανταχοῦ καὶ διηνεκῶς ἐπί σοί ἐστιν, τῇ παρούσῃ συμβάσει θεοσεβῶς εὐαρεστεῖν. Lib. VII, 29: Μὴ τὰ ἀκόντα ἐννοεῖν ὡς ἤδη ὄντα, ἀλλὰ τῶν παρόντων τὰ δεξιώτατα ἐκλογίζεσθαι, καὶ τούτων χάριν ὑποτιμνήσκεσθαι, πῶς ἂν ἐπεζητεῖτα, εἰ μὴ παρῆν, κ. τ. λ. Id est: Noli, quae absunt (quae nondum adsunt), tamquam jam praesentia cogitare, et inter ea, quae adsunt, gratissima elige et horum causa recordare, quantopere desiderarentur, si non adessent. Sic et Seneca in multis locis; e. g. Epist. 74: « Virtus praesentibus gaudet, non concupiscit absentia; nihil non illi magnum est, quia satis."

Caeterum παρόντα, quod vocabulum ἅπαξ λεγόμενον est, secundum Stoicorum sensum non solum opes et facultates majores vel minores, sed universum statum

hominis praesentem, sive magis sive minus exoptatus sit, igitur etiam homines, quibuscum versamur, sint amici vel inimici, complectitur. Hinc auctor profert non solum dictum: « Te non missum faciam, te non deseram;" sed etiam dictum: « Deus meus auxiliator est, hinc metus absit, quid mali mihi faciat homo?"

Prius dictum nuspiam in S. S. reperitur, et e similibus dictis Deuter. XXXI, 6, 8; 1 Parall. XXVIII, 20; Jos. I, 5. quodammodo compositum est. Reperitur iisdem verbis apud Philonem de Conf. linguar. p. 344, C: Οὐ μή σε ἀνῶ, οὐδ' οὐ μή σε ἐγκαταλίπω. Inde vero non necessario sequitur, auctorem nostrum Philonem ante oculos habuisse, sed potius, ut Böhme ad h. l. judicat, istud dictum apud Judaeos Graece loquentes in usu fuisse et, nescio qua causa, oraculi divini auctoritatem nactum esse, ita ut auctori nostro aeque ac Philoni facile in memoriam revocari posset. Ejusdem sententiae est Kuinoel ad h. l.

Ad vs. 7. Hic versus arcte nexus esse videtur cum versu octavo, et hoc sumto versus 8. aliter ac vulgo fit, explicandus est. Auctor hortatur Hebraeos, ut meminerint antistitum suorum, ἔκβασιν τῆς ἀναστροφῆς, i. e. exitum vitae, eorumque probitatem et constantiam usque ad mortem vel in morte ipsa exhibitam considerent, fidemque eorum imitentur. Jam addit celeberrima verba: Ἰησοῦς Χριστὸς χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας. Vulgo explicantur de doctrina Christi mutari nescia et in aeternum valitura. Quam etsi non excludo, tamen

ob connexum cum antecedentibus et pressius ad verba ipsa de Jesu ipso explicanda esse puto, ut Jesus vocetur *semper idem*, semper sibi constans et hinc maxime imitandus. Ἡγούμενοι vestri, inquit, ob fidei et probitatis constantiam imitandi sunt, inter hos ἡγουμένους vero est antesignanus, ἀρχηγὸς Jesus Christus; hic est omnibus numeris absolutum exemplum vitae et fidei et constantiae in fide usque ad mortem; hic fuit semper idem, semper sibi par et constans. Atque hoc ipsum « sibi constare, semper eundem esse, unum esse" valde commendatur a Stoicis. Seneca Epist. 120: « (Intelligimus in aliquo) perfectam esse virtutem, (si) *idem erat* semper, et in omni actu par sibi. — Magnam rem puta *unum* hominem agere. Praeter sapientem nemo *unum* agit; caeteri multiformes sumus. Mutamus subinde personam et contrariam ei sumimus, quam exuimus. Hoc ergo a te exige, ut, qualem institueris praestare te, talem usque ad *exitum* serves. De aliquo, quem vidisti *heri*, merito dici potest (hodie): Quis hic? Tanta mutatio est." Epist. 34: « Ante omnia hoc cura, ut *constes* tibi. Quoties experiri voles, an aliquid actum sit, observa, an eadem velis *hodie*, quae *heri*." Epist. 20: « Quid est sapientia? Semper idem velle atque idem nolle." Vita sapientis *unius quasi coloris* est. — Maximum hoc est et officium et indicium sapientiae, ut (aliquis) ubique par sibi idemque sit.

Versu 9. additur: Διδαχαῖς ποικίλαις καὶ ξέναις μὴ περιφέρεσθε· Καλὸν γὰρ χάριτι βεβαιοῦσθαι τὴν καρδίαν, κ. τ. λ. Nempe si Jesum semper eundem et unum

imitari et ita ad altiorem perfectionis gradum ascendere velimus; certum etiam judicium de vero et falso adipiscamur necesse est. Seneca epist. 95: « Non contingit tranquillitas mentis ex virtute oriunda, nisi immutabile certumque judicium adeptis: caeteri decidunt subinde et reponuntur et inter omissa appetitaque fluctuantur. Si vis eadem semper velle, *vera* oportet velis." Epist. 31: « Perfecta virtus est aequalitas, et tenor vitae per omnia sibi consonans, quod non potest esse, nisi rerum scientia contingat et ars, per quam divina et humana noscantur."

Ad vs. 7 et 17. Quanta reverentia Seneca coluerit sapientiae doctores, id ex multis operum ejus locis patet. Epist. 64: « (Quibus sapientiam debemus), ii suspiciendi et ritu Deorum colendi. Quidni ego magnorum virorum et imagines habeam incitamenta virtutis, et natales celebrem? Quidni illos honoris causa semper appellem? Quam venerationem praeceptoribus meis debeo, eandem illis praeceptoribus generis humani, a quibus tanti boni initia fluxerant. Si consulem videro aut praetorem, omnia, quibus honor haberi honori solet, faciam; equo desiliam, caput adaperiam, semita cedam. Quid ergo? Marcum Catonem utrumque, et Laelium sapientem, et Socratem cum Platone, et Zenonem Cleanthemque in animum meum sine dignatione summa recipiam? Ego vero illos veneror et tantis nominibus semper assurgo." Mirum habuit multos, quod in versu 7, 17 et 24. antistites coetus Christiani ἡγούμενοι vocentur, cum nusquam in N. T. sic appellentur, et in caeteris Paulinis epistolis πρεσβύτεροι et ἐπίσκοποι

dicantur, in eoque vestigium non-Paulinae originis hujus epistolae deprehendisse opinati sunt. Hugius (*Einleitung* T. II, p. 469.) monet, ecclesias Palaestinenses in eo diversas ab aliis ecclesiis fuisse, quod non solum a presbyteris, sed ab ipsis apostolis, e. g. Jacobo et Johanne eorumque sociis Barnaba et Sila, regerentur, et hos apostolorum socios vocari Act. XV, 22, *ἄνδρας ἡγουμένους*. Fortasse antistites Hebraeorum vocantur *ἡγούμενοι* cum quadam reverentia erga Jesum et respectu ad eum, qui vocatur *ἀρχηγὸς* XII, 2, primus inter *ἡγουμένους* Christianorum, *ποιμὴν μέγας* vs. 21. Sed de hac voce in capite ultimo meae tractationis plura dicentur.

Ad vs. 16. *Τῆς εὐποιΐας καὶ κοινωνίας μὴ ἐπιλανθάνεσθε· τοιαύταις γὰρ θυσίαις εὐαρεστεῖ ὁ θεός.* Seneca Epist. 95: « Vis Deos propitiare? Bonus esto; satis illos coluit, quisquis imitatus est." De Ben. IV, 26: « Si Deos imitaris, da et ingratis beneficium, nam et sol oritur sceleratis." VII, 31: « Dii beneficia ignorantibus dare incipiunt, ingratis perseverant, more optimorum parentum, qui maledictis infantum suorum arrident, non cessant Dii beneficia congerere, spargunt opportunis imbribus terras. — Imitemur illos." Notandum est, auctorem nostrum praeter vocem *εὐποιΐα* (*ἅπαξ λεγ.*) uti vocabulo *κοινωνία*, quo et cujus derivatis Stoici saepe utuntur ad docendum, hominem natum esse, ut cum aliis vivat, aliis inserviat, aliis benefaciat. Anton. VII, 55: Primarium in hominis natura est *τὸ κοινωνικόν*. X, 6: *Οὐδὲν πράξω ἀκοινώνητον*. Sic et in aliis locis. Num *κοινωνία* hoc loco denotet pecuniam publice in usus

Christianorum pauperum communes collectam, ut Rom. XV, 26, valde dubito. Synonymum est εὐποιΐας, et notat simpliciter *das mittheilen*, *almosengeben*. Vox εὐαρεστεῖν, quae non nisi in nostra epistola occurrit, praeter hunc locum XI, 5, 6, Stoicis valde usitata est. Arrianus in lib. I. ad Epict. habet peculiare caput, quod inscriptum est περὶ εὐαρεστήσεως. In hoc capite XII. dicitur, quemlibet hoc proposito ad institutionem sapientiae debere accedere: Πῶς ἂν εὐαρεστοίην τῇ θείᾳ διοικήσει; i. e. quo pacto in divina gubernatione acquiescam? — Δεῖ πάντα εὐαρέστως δέχεσθαι, οὐ δυσαρεστεῖν, καὶ ἀγαναχτεῖν τοῖς ὑπὸ τοῦ θεοῦ τεταγμένοις. Anton. VII, 54: Ἐπί σοί ἐστιν, τῇ παρούσῃ συμβάσει θεοσεβῶς εὐαρεστεῖν. Significat, ut ex his locis patet, vox εὐαρεστεῖν tam in activo, quam in passivo, *acquiescere* in aliqua re, *contentum esse* aliqua re. Sic etiam nostro loco haec vox explicari potest: Ejusmodi sacrificiis, nempe beneficiis in pauperes collatis et precibus gratum erga Deum animum testantibus Deus contentus est, in iis acquiescit neque ulla alia sacrificia postulat. In caeteris etiam locis, ubi vox εὐαρεστεῖν occurrit, XI, 5, 6, in primis XII, 28, ubi adverbium εὐαρέστως legitur, commodus sensus gignitur, si istam hujus vocis significationem admittamus.

CAPUT SECUNDUM.

Haec convenientia et cognatio inter Epistolam ad Hebraeos et nonnulla scripta Senecae ejusmodi est, ut non pro fortuita et omnibus, qui de rebus divinis meditantur et scribunt, communi possit haberi, sed potius e nexu quodam auctoris cum Seneca derivanda sit.

Non deërunt, qui hanc convenientiam inter Epistolam ad Hebraeos et nonnulla scripta Senecae et inprimis librum ejus de Providentia ita explicent, ut statuant non fieri potuisse, quin bene cordati et sapientes viri, qui de rebus divinis, de natura hominis, de summo bono et adminiculis ad bene beateque vivendum, ratione duce meditarentur, ad placita et praecepta sibi invicem similia ferrentur et in scriptis suis convenientiam quandam ostenderent. Rationem enim, cujus usu ad cognoscenda divina et ethica ducamur, omnibus esse eandem, naturam hominum semper esse eandem, nec non rerum naturam, cujus contemplatione ad altiora adscendamus, semper esse eandem.

Quod quamquam lubenter concedo, nequaquam tamen convenientia inter epistolam nostram et nonnulla scripta Senecae ea est, quae inde satis explicari queat. Si haec convenientia tantummodo ad dogmata et decreta quaedam, e. g. de Deo omnium rerum creatore et gubernatore, de malis a Deo hominibus

immissis tamquam virtutis probandae et exercendae occasionibus, de vità accommodate ad Dei voluntatem et ad honestatis regulas componenda in universum referenda esset; nullus ego dubitarem, illam convenientiam pro fortuita et omnibus sapientiae magistris communi habere.

Quamquam vel ita quaeri possit, cur non eadem convenientia, quae inter epistolam ad Hebraeos immo etiam inter alias epistolas Pauli et Senecae scripta extat, in aliis ethnicorum philosophorum scriptis reperiatur? Cur non in Platonis dialogis, Memorabilibus Socratis, in ipsius Epicteti enchiridio et Antonini libris ad se ipsum, quorum uterque, sicut Seneca, partes Stoicorum secutus est?

Extant quidem nonnulla in his scriptis, nominatim in Epicteti enchiridio et Arriani Epicteteis et Antonini libris, quae cum quibusdam locis nostrae epistolae conferri possunt et quae in capite priori passim notavi. Sed ea referenda sunt ad communem fontem, ex quo omnes Stoici antiquitatis scriptores hauserunt ita, ut, si inter Senecae scripta et epistolam ad Hebraeos convenientia quaedam extat, eam ob causam etiam convenientia aliqua inter epistolam nostram et caeteros Stoicae philosophiae scriptores conspiciatur necesse sit. Haec vero convenientia non est tanti, ut illi, quae est inter epistolam nostram et Senecae scripta nonnulla, ullo modo aequiparari possit. Si in antecedenti capite subinde nonnullas voces epistolae ad Hebraeos cum iis, quae in Epicteti enchiridio vel Arriani Epicteteis et Antonini libris occurrunt, comparavi et inde explicare studui; hoc non ideo feci, quasi commercii quid

auctori nostro cum istis scriptoribus, quippe seriori-bus fuisset, sed ut convenientia inter nostram epistolam et Senecae scripta nonnulla eo magis illucesceret et consuetudo auctoris nostri cum Seneca, quam capite tertio et quarto comprobare studebo, probabilior redderetur. Sic enim consuetudo aliqua inter auctorem epistolae nostrae, quem Paulum esse contendo, et Senecam extitit; sine dubio Seneca Graecae linguae peritissimus (1) cum Paulo linguae Latinae parum gnaro colloquens de rebus divinis, non sermone Latino, sed Graeco usus est, ita ut phrases et voces quaedam solennes Stoicis, quae in epistola nostra occurrunt, inde derivari queant.

Sed redeundum est ad rem propositam. Convenientia inter epistolam nostram et nonnulla Senecae scripta non pro fortuita et omnibus, qui de rebus divinis et ethicis scripserunt, communi haberi potest. Etenim ista convenientia cernitur:

1. In *frequentibus allusionibus ad peculiaria Stoicis dogmata*, quae in Senecae scriptis passim uberius exponuntur, e. g. ad dogmata Stoicorum de creatione mundi ex visibili quadam materia XI, 3; de destructione mundi hujus olim futura et inde orituro novo mundo I, 11, 12; II, 5; VIII, 15; XII, 26, 27; de coelo tamquam civitate Dei et domicilio geniorum et heroüm et hominum vitae integrorum vita defunctorum XII, 22—24; de *ἀναμαρτησίᾳ* et *ἀπα-*

(1) Id partim ex scriptis Senecae patet, in quibus multa vocabula Graeca reperiuntur, multique loci ex Graecis versi, partim ex consuetudine Romanorum nobiliorum tum temporis, Graecas literas fractandi.

θείᾳ sapientis IV, 15; V, 2, 7, et alia, de quibus supra uberius exposui. E contrario vero etiam in nonnullis Senecae scriptis alluditur ad dogmata Christianorum, quae in nostra epistola exponuntur.

2. In *vocibus et loquendi formulis*, quibus Stoici, igitur et Seneca, uti et dogmata sua notare solent. Notum est, Stoicos, ut plerosque philosophos, in tractationibus suis peculiari lingua, vocibus et loquendi formulis insolentia quadam insignibus uti, ex quibus tamquam e tessera vel symbolo Stoicae philosophiae mysteriis initiatos agnoscere possis. Hinc Seneca ejusmodi vocibus utens dicere solēt: « Ut nostra lingua loquar," cfr. Epist. 74. Notum est, Stoicis inprimis familiare fuisse, nova et insolita vocabula, prout usus postularet, procudere, vel vocabulis notis et receptis insuitatum sensum subjicere. Cfr. Seneca Epist. 59: « Magnam ex epistola tua percepi *voluptatem*; permitte enim mihi uti verbis publicis, nec illa ad significationem Stoicam revoca. Vitium voluptatem esse credimus." Ejusmodi formulae loquendi et voces non raro in nostra epistola occurrunt. Huc referendae sunt voces πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, αἰῶνες in significatione mundi, ἀπαύγασμα, τέλειος, τετελειωμένος, τελειότης, τελείωσις, τελειωτὴς, στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς, διὰ τὴν ἕξιν τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἔχοντες, ἀπαρέβατος, πνεῦμα αἰώνιον, ὁμολογία, εὐαρεστεῖν, μετὰ αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας (2). Vice versa etiam in Senecae qui-

(2) His et aliis vocibus, quas supra multis exposui, adjici potest vox ἐξέρχεσθαι, XIII, 13. Voce ἐξέρχεσθαι Stoici saepe utuntur, quum de morte officii causa fortiter subeunda, immo de voluntaria morte, si res postulat, non reformidanda verba faciunt. Quae mors

busdam scriptis nonnullae voces et loquendi formulae occurrunt, quae dictioni biblicae conveniunt neque in aliis scriptis antiquitatis Latinae classicae reperiuntur, e. g. *caro et sanguis*, Ep. 102; cfr. II, 14. Infra de hac re plura dicentur.

3. Cernitur ista convenientia nonnunquam in *similitudine sententiarum iisdem verbis* expressarum, qualem inter cap. XII. et libellum Senecae de Providentia animadverti, et in parte prima capitis antecedentis exposui.

Ejusmodi convenientia non pro fortuita haberi potest, sed nexum aliquem inter auctorem nostrae epistolae et Senecam arguit.

Auctor noster multus est *in allusionibus ad ritus Judaeorum* sacros et expiatoria sacrificia, multus est in *citandis V. T. effatis*, multus est in proponendis exemplis virorum, qui inter Judaeos magnam nominis celebritatem nacti sunt. Hinc merito concludimus, consuetudinem quandam auctori fuisse cum Judaeis eumque religionem et ritus sacros Judaeorum habuisse bene cognitos. Eodem jure etiam ob allusiones ad Stoica dogmata, ob phrases, voces et sententias Stoicis et Senecae peculiares, quae frequenter

---

voluntaria quamquam a doctore Christiano non commendari potest; tamen, si ad hanc significationem hujus vocis respicimus, verba: *Τοίνυν ἐξερχώμεθα πρὸς αὐτὸν ἔξω τῆς παρεμβολῆς τὸν ὀνειδισμὸν αὐτοῦ φέροντες*, hunc bonum sensum exhibent: Exeamus ad Christum extra portam, ubi crucifixus est; parati simus ad mortem ipsam ignominiosam ad exemplum Christi religionis causa subeundam. Huic explicationi conveniunt verba versus sequentis: *Οὐ γὰρ ἔχομεν ὧδε μένουσαν πόλιν, ἀλλὰ τὴν μέλλουσαν ἐπιζητοῦμεν.* Cfr. locus Senecae supra laudatus Epist. 120.

in nostra epistola occurrunt, auctori ejus fuisse nexum aliquem cum Stoicis et Seneca. Multi recentiorum existimant, auctorem nostrum *Judaeis Alexandrinis esse cognatum*, scholae Alexandrinae alumnum et asseclam, quoniam nonnullae phrases et sententiae in nostra epistola occurrant, quae Philonis libris sunt peculiares. Confiteor inter locos Philonis nostrae epistolae parallelos, quos Schulzius in appendice ad librum saepius laudatum profert, nonnullos esse vere parallelos, sed non omnes, non plerosque. Accuratius citatos locos secundum contextum legens reperi, in multis parum convenientiae cum nostra epistola esse. Sed concedamus, omnes istos locos vere parallelos esse, et inde nexum aliquem auctoris cum Philone probari: pari jure etiam mihi concedetur, ob multo majorem convenientiam epistolae nostrae cum Stoicis et Seneca, quam docuisse arbitror, auctori nostro cum Stoicis et Seneca nexum aliquem fuisse, praesertim cum secundum meam hypothesin ista convenientia nostrae epistolae cum nonnullis Philonianis commode explicari possit, quod infra docebitur.

Hunc vero nexum inter auctorem nostrum et Senecam eum esse potuisse contendo, ut vel *auctor uterque ex eodem fonte hauserit*, vel *alter alterius scripta legerit*, vel auctor noster *cum Seneca consuetudinem* quandam habuerit.

A. Auctor noster ex *eodem fonte cum Seneca* haurire *potuit*, nempe e fonte, quem Zeno in porticu aperuit, et qui ab ejus sectatoribus per multos rivulos derivatus Pauli et Senecae temporibus totum fere Romani imperii ambitum pervagatus est. Potuit ergo

auctor noster sicut Seneca libros Stoicorum, quorum tum temporis magna copia extitit, legere, vel scholis Stoicorum et dissertationibus et praelectionibus in iis fieri solitis interesse, et ita familiaritatem quandam cum Stoicorum scitis et decretis nec non cum verbis Stoici albi (Seneca Epist. 59) sibi contrahere.

Jam si hoc sumamus, aliquid pro Paulina nostrae epistolae origine effici contendere possumus.

Nemo enim inter omnes primitivae Christianorum ecclesiae doctores, nisi Paulus, notitiam aliquam Stoicae philosophiae sibi comparandi occasionem habuit.

Nam Tarsi natus et usque ad adultiorem aetatem educatus est, et ita quidem, ut literis addiscendis operam navaret et aliquando doctor religionis Judaicae evaderet. Tarsus vero tum temporis urbs fuit literarum et philosophiae cultrix celeberrima. Strabo Paulo fere coaevus in Geogr. Lib. XIV. pag. 640. Basil. 1549 edit. [p. 991, A. ed. Amst. 1707] haec habet: Τοσαύτη τοῖς ἐνθάδε ἀνθρώποις (Tarsensibus) σπουδὴ πρὸς φιλοσοφίαν, ὥσθ' ὑπερβέβληνται καὶ Ἀθήνας καὶ Ἀλεξάνδρειαν —. Διαφέρει δὲ τοσοῦτον, ὅτι ἐνταῦθα μὲν οἱ φιλομαθοῦντες ἐπιχώριοι πάντες εἰσί· ξένοι δ' οὐκ ἐπιδημοῦσι ῥᾳδίως. Nominat deinde plures illustres Stoicae philosophiae doctores, inter eos duo Athenodoros, quorum alter in magna auctoritate apud imperatorem Augustum fuit, ita ut ob ejus intercessionem Tarsum vectigalibus levaret et Claudium in ejus contubernium traderet. Cfr. Bruckeri *Instit. Histor. Philos.* Sect. VII, §. 2. Cum igitur Paulus Tarsi natus, et usque ad adultiorem aetatem in patria urbe educatus, literis addiscendis operam navasset: sine dubio etiam noti-

tiam aliquam Stoicae philosophiae in urbe patria florentis sibi comparavit.

Differunt Chronologiae Paulinae scriptores in constituendo anno, quo Paulus patriam urbem reliquerit et Hierosolymam ad Gamaliëlem se contulerit.

Schrader in libro: *der Apostel Paulus*, p. 45 contendit, Paulum annos duodecim natum se contulisse Hierosolymam, ergo ea aetate, qua vix notitiam aliquam Stoicae philosophiae sibi comparare potuerat. Sed argumenta ejus ex locis Actor. XXII, 3; XXVI, 4 petita, ubi Paulus narrat, se Hierosolymis educatum esse ἐκ νεότητος (3), non adeo firma sunt, ut negandum sit, Paulum seriori aetate Tarsum reliquisse et Hierosolymam et Gamaliëlem adiisse. Hinc alii putant, adultiore aetate Paulum, immo triginta annos natum, Tarso relicta scholas Hierosolymitanas adiisse, e. g. Hemsen *der Apostel Paulus* etc., *herausgegeben von* Lüchs, p. 6, et alii. Mihi quidem haec posterior sententia de aetate, qua Paulus relicta Tarso Hierosolymam adierit, multo verisimilior, quam Schraderi esse videtur. Nam si Paulus duodecim annos natus Hierosolymam se contulisset, ibique uno tenore usque ad suam conversionem, quod Schraderus vult p. 45, commoratus esset, sine dubio etiam, quippe homo rerum sacrarum curiosissimus et patriae religionis amantissimus, opportunitate, Jesum dictis et factis celeberrimum doctorem videndi, cognoscendi et cum eo colloquendi usus esset. Sed hujus rei ne

(3) Vox νεότης enim aetatem juvenilem, adolescentiam significat, quae annum vitae duodecimum longe excedit. Jesus duodecim annos natus, non νέος, νεανίας, sed παῖς dicitur a Luca II, 43.

ullum quidem vestigium reperitur in epistolis Paulinis. Commemorasset, si commemorare potuisset. Paulus quidem refert 1 Cor. XI, 1; 2 Cor. V, 16, se vidisse Christum, sed ita, ut, quae de Jesu a se viso refert, ad narrationem Act. IX, 3 sqq. sine dubio pertineant. Si vel cum Schradero sumamus (4), Paulum anno demum 14 p. Chr. n. ortum natalem habuisse; tamen posito anno vitae duodecimo, quo Hierosolymam abierit, plures annos adhuc ante initia muneris Jesu publici ibi commoratus est, et cuncta, quae spectant Jesum ipsum vel ejus doctrinam, videndi et cognoscendi occasionem habuit, cujus vero rei nullum vestigium in Paulinis epistolis extat. Verisimillimum est, Paulum demum post Jesu discessum Hierosolymam venisse.

Si vero vel dubium esset, Paulum ad eam usque aetatem, qua Stoicae philosophiae notitiam aliquam imbibere posset, Tarsi mansisse; nihilominus tamen seriori vitae suae tempore post conversionem per magnum temporis intervallum (5) Tarsi commoratus est, ut ex Actis patet IX, 30. et hic sine dubio, sicut Athenis, cum philosophis ethnicis collocutus est eorumque placita cognoscendi occasionem habuit.

B. Transeamus ad *secundo loco* positum. Nexus inter auctorem nostrae epistolae et Senecam in eo esse potuit, ut *alter alterius scripta legerit* et alter

(4) Plerique non levibus argumentis permoti anno 2 p. Chr. n. Paulum natum esse contendunt.

(5) Hemsius in Lib. l. tres fere annos Tarsi commoratum esse Apostolum contendit p. 40 sqq. Schrader Lib. l. p. 80 brevius intervallum computat.

ab altero nonnulla mutuatus sit. Hoc vero, pro exemplarium manuscriptorum raritate et maxime recens exaratorum librorum, cujusmodi tum temporis scripta Senecae et Pauli erant, nullo alio loco opportunius fieri potuit quam Romae, ubi Seneca domicilium habuit. Jam ex historicis argumentis, quae infra proferentur, doceri potest, Paulum saltem per biennium eo tempore Romae commoratum esse, quo plerique libri Senecae vel jam scripti essent, vel scriberentur, eoque fere tempore scriptam esse ad Hebraeos epistolam. Cum vero de nullo alio doctore tum temporis Christianorum constet, qui Romae per biennium commoratus sit, et librorum Senecae legendorum vel desiderium vel occasionem habere potuerit; id etiam, quod secundo loco posuimus, favet origini epistolae nostrae Paulinae.

C. Sed res redditur expeditior, si sumamus, quod tertio loco positum erat, inter auctorem nostrae epistolae et Senecam *consuetudinem vel familiaritatem quandam extitisse*. Quod, si probabilibus argumentis doceri potuit, instar omnium est ad convenientiam inter epistolam ad Hebraeos et scripta nonnulla Senecae rite explicandam. Hoc enim posito, intelligimus, qua via Senecae scripta auctori nostro innotescere potuerint, qui factum sit, ut non modo Stoici quid in epistola ad Hebraeos, sed etiam Christiani quid in nonnullis scriptis Senecae reperiatur. Jam vero vetus est traditio, inter Paulum et Senecam consuetudinem et familiaritatem quandam intercessisse. De hac traditione sequenti capite dicetur.

CAPUT TERTIUM.

Vetus est traditio, inter Paulum et Senecam familiaritatem aliquam extitisse.

A. Hujus familiaritatis inter Paulam et Senecam passim mentio fit in scriptis antiquitatis ecclesiasticae.

Linus episcopus Romanus in libro supposititio *de passione Panli et Petri,* vel quisquis fuerit hujus libri auctor, haec tradit: « Institutor Neronis, Seneca adeo fuit Paulo amicitia conjunctus, videns in eo scientiam divinam, ut se a colloquio ejus vix temperare posset, quo minus, si ore ad os illum alloqui non valeret, frequentibus datis et acceptis epistolis, ipsius dulcedine et amicabili colloquio et consilio frueretur." Hieronymus in libro *de Scriptor. Ecclesiast.* Cap. 12 haec habet: « Lucius Annaeus Cordubensis, Sotionis discipulus et patruus Lucani poëtae, vitae fuit continentissimae, quem non ponerem in catalogo sanctorum, nisi me provocarent epistolae, quae leguntur a plurimis, Pauli ad Senecam et Senecae ad Paulum."

Hieronymi sententiae adstipulatur Augustinus in *Epistol. ad Macedonium 54*: « Seneca fuit apostolorum temporibus, cujus quaedam epistolae ad Paulum leguntur."

Hinc Lipsius in *Vitae Senecae* cap. 10 de Senecae et Pauli epistolis agens: « ergo," inquit, « inter se

nihil scripserunt? Hieronymus, Augustinus atque etiam antiquior utroque Linus pontifex asserunt, atque adeo Johanni Sarisberiensi (scriptori saeculi XII) fortiter desipere videntur, qui non venerantur eum (Senecam), quem apostolicam familiaritatem meruisse constat."

B. Istae *Epistolae*, quibus traditio de Paulo Senecae familiari potissimum nititur, sunt *numero quatuordecim*, quarum octo Senecae ed Paulum et sex Pauli ad Senecam (1). Reperiuntur in antiquioribus Operum Senecae editionibus, in Fabricii *Codice Apocrypho* (2) *N. T.* Tom. II, p. 880, et in Pritii *Introductione in N. T.*, edit. Hofmanni, p. 140 sqq.

1. Hae epistolae amoebaeae, quamquam olim a multis theologis, quorum nomina Fabricius in libro laudato recenset, pro authenticis habitae sunt, *fictitiarum notas* ubique prae se ferunt. Stylus earum est Senecae stylo dissimillimus, barbarus et multo seriorem aetatem redolet; nec non Paulus in iis parum accommodate ad ingenii sui indolem loquitur, vocat Senecam devotissimum magistrum Epist. 10, et de rebus levis momenti apostoli gravitate indignis verba facit. Hinc nostris temporibus ab omnibus theologis, nostratibus et pontificiis, pro spuriis et commentitiis habentur, quae ab ullo aliquo obscuro

(1) Sexta epistola scripta est ad Senecam et Lucilium conjunctim.

(2) Qui omnino de hac re consulendus est, et Kleuker *Ausführliche Untersuchung der Gründe für die Aechtheit* etc. Tom. V, p. 434 sqq.; Ittigii *Dissertatio de Patribus Apostolicis*, §. 23.

capite exeunte saeculo tertio vel saeculo demum quarto consarcinatae sint.

2. Non tamen *prorsus spernendae* sunt epistolae. Quamvis enim non ea aetate, quam prae se ferunt, scriptae sint; origo tamen earum ad saecula priora reipublicae Christianae referenda est, et argumentum earum testari potest, quid Christiani tum temporis de quibusdam rebus ad historiam primitivae ecclesiae pertinentibus judicaverint et pro vero habuerint. In Epist. 12. exempli gratia Seneca Paulo de incendio urbis Romae anno 64. post C. N. et de Christianis, quasi machinatoribus incendii supplicio affectis scribit. Ergo Paulus post illud incendium adhuc vixit et Romae fuit (8). Ergo tempus, quo Paulus Romae commoratus est, multum istud biennium Act. XXVIII, 30. excedit. Hoc sequitur etiam ex eo, quod in his epistolis quatuor diversorum consulatuum fiat mentio. Sic saltem Christiani tum temporis, quo istae literae compositae sunt, de tempore, quo Paulus Romae captivus mansit, judicarunt. Atque hoc antiquitatis ecclesiasticae praejudicium nequaquam postponendum est, et opinioni eorum, qui alteram Pauli captivitatem negant, non parum velificatur.

Testantur inprimis illae epistolae id, quod ad meam rem pertinet, inter Christianos priorum saeculorum opinionem de consuetudine aliqua inter Paulum et Senecam percrebuisse, immo famam de com-

(8) Non diserte quidem in istis Epistolis dicitur, Romae scriptas esse; neque vero ullus alius locus nominatur. Argumentum vero totum ita comparatum est, ut Romae scriptae esse vel in conubio urbis cogitentur.

mercio quodam literario horum duumvirorum extitisse. Nisi enim haec fama Christianos tum temporis pervagata esset, consarcinator epistolarum neque in animum inducere, ut istos fingeret, neque si fingeret, suis figmentis ullo modo fidem facere potuisset, quam tamen, historia ecclesiastica docente, nactus est. Unde vero haec fama inter Christianos orta est? Nihil impedit, quo minus re vera ejusmodi consuetudinem et commercium inter Paulum et Senecam intercessisse statuamus. Neque est, quod dicamus, primaevos Christianos finxisse istam inter hos duumviros consuetudinem. Non patet enim, quid commodi in rempublicam Christianam inde redundare potuerit. Immo notum est, Christianos saeculi tertii, quo fere tempore epistolas illas scriptas esse puto, adversus Stoicos, quippe ipsis gravitate doctrinae et dogmatum multum impedimenti et detrimenti afferentes, non amicum habuisse animum.

3. Hinc ipse Lipsius, homo praeconceptis opinionibus non occoecatus, in Vita Senecae editioni operum ejus praemissa cap. X. de hoc commercio ita judicat: " Hoc totum rejicere et calcare non ausim: fuerint aliquae, sed aliae."

Ita fere Nüscheler Professor Tigurinus in libro: *Seneca der Sittenlehrer*, pag. 301. judicat: « die Briefe zwischen Paulus und Seneca, die freylich offenbar das Gezeuge der Erdichtung tragen, müssen sich doch immer auf eine Sage gründen, dasz zwischen beiden einige Bekanntschaft Stat gefunden hat." (9).

---

(9) Meyer, *Commentatio, in qua doctrina Stoicorum ethica*

C. Cum epistolae amoebaeae quatuordecim in libris tantummodo iis, qui paucis ad manus sunt, reperiantur, et non parum ad rem meam conferant, et secundum ea, quae antea notavi, aliis etiam ex causis non levis momenti esse videantur: equidem spero, non ingratum fore lectoribus, si hoc loco illis legendi has epistolas copiam fecero. In Pritii *Introductione in N. T.* ita leguntur:

I.

PAULO ANNAEUS SENECA SALUTEM.

Credo tibi, Paule, nunciatum, quod heri cum Lucilio nostro de apocrisi, et aliis rebus habuimus; erant enim quidam disciplinarum tuarum comites mecum. Nam in hortos Salustianos secesseramus, quo in loco occasione nostra alio tendentes hi, de quibus dixi, nobis adjuncti sunt. Certe quod tui praesentiam optamus, et hoc scias, volo: libello tuo lecto, id est, de plurimis litteris aliquas epistolas, quas ad aliquam civitatem seu caput provinciae direxisti, mira exhortatione vitam

---

cum Christiana comparatur, 1823. p. 155. judicat »aliquam saltem amicitiae inter Paulum et Senecam famam his literis conficiendis occasionem dedisse.« Hess, in *der Geschichte der Apostel*, Tom. II, p. 287: »Ob auch gleich jener vorgegebne Briefswechsel zwischen Paulus und Seneca für unächt zu halten ist, so ist es doch gar nicht unwarscheinlich, dass Paulus mit diesem Weltweisen in Bekanntschaft gekommen sey, der doch wohl nicht ganz unaufmerksam auf die stets anwachsende neue Religionspartey gewesen seyn kann.«

moralem continentes, usque refecti sumus. Quos sensus non puto ex te dictos, sed per te, certe aliquando ex te et per te; tanta enim majestas earum est rerum, tantaque generositate clarent, ut vix suffecturas putem aetates hominum, quibus institui perficique possint. Bene te valere frater cupio. Vale.

II.

PAULUS SENECAE

SALUTEM.

Litteras tuas hilaris heri accepi: ad quas rescribere statim potui, si praesentiam juvenis, quem ad te missurus eram, habuissem. Scis enim, quando et per quem, et quo tempore, et cui quid dari committique debeat. Rogo ergo, ne te putes neglectum, dum personae qualitatem inspicio. Sed quod litteris meis vos refectos scribis, felicem me arbitror tanti viri judicio. Neque enim diceris censor, sophista ac magister tanti principis et etiam omnium, nisi quia vera dicis. Opto te diu bene valere.

III.

PAULO ANNAEUS SENECA

SALUTEM.

Quaedam volumina ordinavi et divisionibus suis statum eis dedi. Ea quoque legere Caesari sum destinatus, et si modo sors prospere adnuerit, eris

forsitan et tu praesens. Sin, alias reddam tibi diem, ut invicem hoc opus inspiciamus. Decreveram non prius edere ei hanc scripturam, nisi prius tecum conferrem, si modo impune hoc fieri potuisset: ut scires, et te non praeteriri. Vale Paule carissime.

IV.

PAULUS SENECAE

SALUTEM.

Quotiescumque litteras tuas audio, praesentiam tui cogito, nec aliud existimo, quam omni tempore te nobiscum esse. Cum primum itaque venire coeperis, invicem nos et de proximo videbimus. Bene te valere opto.

V.

PAULO ANNAEUS SENECA

SALUTEM.

Nimio tuo angimur secessu. Quis est, vel quae res te remoratum faciunt? si indignatio Domini, quod a ritu et secta veteri recesseris, et alios rursus converteris; erit postulandi locus, ut ratione factum, non levitate hoc existimet. Vale.

VI.

PAULUS SENECAE ET LUCILIO

SALUTEM.

De his, quibus vel quae mihi scripsistis, non

licet harundine et atramento eloqui, quarum altera res notat et designat aliquid, altera evidenter ostendit; praecipue, cum sciam inter vos esse, sicut apud nos, et in nobis, qui me intelligunt. Honor habendus est omnibus, et tanto magis his, qui indignandi occasionem captant; quibus si patientiam ostendemus, omni modo eos ex quacunque parte vincemus, si mode hi sunt, qui poenitentiam sui gerant. Bene valete.

VII.

PAULO ANNAEUS SENECA

SALUTEM.

Profiteor, bene me acceptum in lectione litterarum tuarum, quas Galatis, Corinthiis et Achaeis misisti. Spiritus enim sanctus in te et supra te excelsos et sublimiores valdeque venerabiles sensus exprimit. Vellem itaque cum res eximias proferas, ut majestati earum cultus sermonis non desit. Et ne quid tibi, frater, subripiam, aut conscientiae meae debeam; confiteor Augustum sensibus tuis permotum: cui, lecto litterarum tuarum exordio, haec vox fuit: mirari eum posse, ut, qui non imbutus sit, taliter sentiat. Cui ego respondi, solere Deos ore innocentium effari, addens ei exemplum Vatinii, hominis rusticuli; cui cum duo viri adparuissent in agro Reatino, qui Castor et Pollux sunt nominati, divinitus instructus fuit. Vale.

VIII.

PAULUS SENECAE SALUTEM.

Licet non ignorem, Caesarem nostrarum rerum admiratorem et amatorem esse, permittes tamen te non laedi, sed admoneri. Puto enim te graviter fecisse, quod in notitiam perferre voluisti, quod ritui et disciplinae ejus sit contrarium, cum et ille gentium Deos colat. Quid tibi visum sit, ut hoc eum scire velles, non video. Sed nimia amore meo facere te hoc existimo. Rogo te de futuro, ne id agas. Cavendum est enim, ne, dum me diligis, offensam Domino facias: cujus quidem offensa nec oberit, si perseveraverit, neque, si non sit, proderit. Si est regina, non indignabitur, si mulier est, offendetur. Bene vale.

IX.

PAULO ANNAEUS SENECA SALUTEM.

Scio te, non tam mei caussa commotum litteris, quas ad te de editione epistolarum tuarum Caesari feci, quam natura rerum: quae ita mentes hominum ab omnibus artibus et moribus revocat, ut non hodie admirer: quippe ut is, qui multis documentis hoc jam notissimum habeam. Igitur nove agamus, tu, si quid facile in praeteritum actum est, veniam irrogabis. Misi tibi librum de verborum copia. Vale Paule carissime.

X.

PAULUS SENECAE

SALUTEM.

Quoties tibi scribo, et nomen meum tibi praefero, gravem et sectae meae incongruam rem facio; debeo enim, ut saepe professus sum, cum omnibus omnia esse; et idem observare in tuam personam, quod lex Romana honori Senatus concesserit, scilicet in epistola ultimum locum eligere, quod mei arbitrii fuerit. Vale devotissime Magister. Data quinto Calendarum Julii, Nerone IV et Messala consulibus.

XI.

PAULO ANNAEUS SENECA

SALUTEM.

Ave mi Paule carissime. Si mihi nominique meo vir tantus et dilectus omnibus modis, non dico fueris junctus, sed necessario mixtus; apte actum erit de Seneca tuo. Cum sis igitur vertex, et altissimorum omnium montium cacumen, haud te indignum in prima facie epistolarum nominandum censeas, ne tam tentare, quam ludere videaris; quippe cum scias, civem esse te Romanum. Nam qui meus, tuus apud te locus, qui tuus, velim ut meus. Vale Paule carissime. Data X Cal. Aprilis, Aproniano et Capitone consulibus.

XII.

PAULO ANNAEUS SENECA SALUTEM.

Ave, mi Paule carissime. Putasne me haud contristari, et non luctuosum esse, quod de innocentia vestra subinde sumatur supplicium? Dehinc quod tam obnoxios vos reatui omnis populus judicet, putans a vobis effici, quod in urbe contrarium fit? Sed feramus aequo animo, ut utamur foro, quod sors concessit, donec invicta felicitas finem malis imponat. Tulit et priscorum aetas Macedonem, Philippi filium, et Dionysium: nostra quoque Cajum Caesarem: quibus quidquid libuit, licuit. Incendium urbs Romana unde saepe patiatur, manifeste constat: sed si effari humilitas humana potuisset, et impunem his tenebris loqui liceret, jam omnes omnia viderent. Christiani et Judaei, quasi machinatores, incendii supplicio adfici solent. Grassator iste quisquis est, cui voluptas carnificina est, et mendacium velamen, tempori suo destinatus est: et sicut optimi cujusque caput pro uno donatur capite; ita unum pro multis dabitur caput, et hic devotus pro omnibus igni cremabitur. Centum triginta duae domus, insulae quatuor, sex diebus arsere: septimus pausam dedit. Bene te valere opto. Data quinto Calend. April. Frugi et Basso consulibus.

XIII.

PAULO ANNAEUS SENECA

SALUTEM.

Ave mi Paule carissime. Allegoricè et aenigmatice multa a te usquequaque opera conduntur, et ideo rerum tanta vis et muneris tibi tributa, non ornamento verborum, sed cultu quodam decoranda est. Saepius te dixisse retineo, multos, qui talia adfectent, sensus corrumpere, et rerum virtutes evitare. Ceterum hoc mihi concedas velim, latinitati morem gere, honestis vocibus speciem adhibe, ut generosi muneris concessio digne a te possit expediri. Bene vale. Data v Nonas Iulii, Leone et Savino consulibus.

XIV.

PAULUS SENECAE

SALUTEM.

Perpendenti tibi ea sunt revelata, quae paucis divinitas concessit. Certus igitur ego in agro jam fertili semen fortissimum sero, non quidem materiam, quae corrumpi videtur, sed verbum stabile Dei derivamentum crescentis et manentis in aeternum. Quod prudentia tua adsecuta est, indeficiens ferre debebit. Ethnicorum Israëlitarumque observationes censeto vitandas. Quae propemodum adeptus es, regi temporali ejusque domesticis atque fidis amicis insinuabis. Quibus etsi aspera

et incaptabilis erit persuasio tua; cum plerique eorum minime flectantur insinuationibus tuis; sermo tamen Dei instillatus novum in his hominem pariet ad Deum hinc properantem. Vale Seneca carissime nobis. Data Cal. Augusti, Leone et Savino consulibus.

CAPUT QUARTUM.

Traditio de familiaritate quadam, quae inter Paulum et Senecam intercessit, est valde probabilis.

A. Ex Actis Apostolorum notum est, Paulum, cum a Judaeis accusatus coram Festo Judaeae praeside causam Caesareae dixisset et Caesarem appellasset, Romam deductum esse, ibique ineunte vere anni p. Chr. n. 62 (1), qui fuit annus octavus imperii Neronis, advenisse. Ibidem narratur, apostolum, postquam Romam advenerat, στρατοπεδάρχῃ, id est, *praefecto praetorio*, custodiae causa traditum et ab eo tam be-

(1) Alii aliter. Schröckh *Kirchengesch.* T. II, 176, habet annum 91; Hug *Einleitung ins N. T.* T. II, 326 annum 63 computat; Hemsen *der Apostel Paulus* eundem annum pag. 594 ponit; Gieseler *Lehrbuch der Kircheng.* T. I, 77, annum 60 constituit; Bengel in *Ordine temporum* p. 246 anno 56 Romam advenisse Paulum contendit. In capite sequenti ex certis chronologicis rationibus ostendam, Paulum anno 62 Romam advenisse. Ejusdem sententiae est Schrader *Chronologische Bemerkungen über das Leben des Apostels Paulus*, p. 264.

nigne habitum esse, ut seorsim ab aliis captivis in proprio hospitio habitandi sub custodia militari, nec non, quos vellet, ad se admittendi veniam nancisceretur, Act. XXVIII, 30, 31. Hic vero praefectus praetorio, ex sententia omnium historiae ecclesiasticae scriptorum, Burrhus fuit. Cfr. Schröckh *Kirchengesch.* T. II, 176; Hess *Geschichte der Apostel*, T. II, 157; Stollberg *Geschichte der Religion Jesu*, T. VI, 480, et alii. Non nominatur quidem Burrhus in Actis, sed Burrhum tum temporis fuisse praefectum praetorio, ex his recte concluditur: Ante Burrhum, et post Burrhum, non *unus* praefectus praetorio fuit, sed duo. Tacitus *Annal.* XIV, 51 haec habet: « Post mortem Burrhi duos praetoriis cohortibus Nero imposuerat, Fenium Rufum et Sofonium Tigellinum. » Si Burrhus Paulo Romam adveniente non fuisset praefectus praetorio, Lucas non τῷ στρατοπεδάρχῃ, sed τοῖς στρατοπεδάρχαις scripsisset.

Burrhus vero fuit celeberrimus ille, Seneca socio, juventutis Neronis moderator. Tacitus *Annal.* XIII, 2: « Burrhus et Seneca rectores imperatoriae juventutis, et pari in societate potentiae concordes, diversa arte ex aequo pollebant; Burrhus militaribus curis et severitate morum, Seneca praeceptis eloquentiae et comitate honesta. Juvantes invicem, quo facilius lubricam principis aetatem, si virtutem aspernaretur, concessis voluptatibus retinerent. » Burrhus igitur praefectus praetorio et Seneca philosophus arctissimo vinculo nexi erant tum temporis, cum Paulus Romam veniret. Nam etsi eo tempore Nero pro aetate, quippe jam octavum imperii sui annum numerans, institutoribus et rectoribus non amplius indigeret; ta-

men uterque, ut idem Tacitus l. c. testatur, multum adhuc polluit apud Caesarem, uterque frequentavit Caesaris aulam, uterque Caesari adhuc juveni consilia suggessit, et in omnibus gravioribus negotiis fuit intimae admissionis. Amicitiam etiam mutuam ita colebant, ut post mortem Burrhi Seneca missionem a Nerone peteret, et munera sibi a Caesare data reddere vellet. Tacit. *Annal.* XIV, 53.

Cum ergo tam arctum officiorum et amicitiae vinculum hos duumviros necteret, et quotidie fere copia se invicem videndi et alloquendi illis suppeditaretur; facillime fieri potuit, ut Burrhus ad Senecam de captivo quodam insigni, doctore Judaico, viro et doctrina et morum integritate conspicuo, nomine neglectae erga sacros ritus religionis Judaicae et instituta majorum observantiae a gentis suae proceribus accusato, et militari custodiae (2) in praetorio a se tradito, verba faceret et Senecam hujus viri cognoscendi curiosum redderet.

B. Atque hoc eo magis fieri potuit, cum apostolus in *ipso praetorio et aula Caesaris causam suam diceret*, et in causa dicenda virum ingenio et facun-

(2) Custodiae militaris, quae diversa fuit a custodia libera (ἀφεσμὸς) et custodia apud vades, tantummodo erga magistratus et homines majoris census adhiberi solita, haec fuit ratio, ut captivus catenam manui dextrae alligatam haberet, quae eadem custodientis militis sinistram vinciret. Seneca ad hanc custodiae militaris rationem alludit, de Tranquill. 10: » Omnes copulati sumus, aliorum aurea catena est et laxa; aliorum sordida et arcta. Sed quid refert? Eadem custodia universos circumdedit, alligatique sunt etiam, qui alligaverunt, nisi tu forte leviorem in sinistra catenam putas." Epist. 5: » Quemadmodum eadem catena et custodiam et militem copulat; sic spem metus sequitur."

dia et imperterrito animo insignem sese exhiberet.

Nam *praetorium*, in quo secundum Philipp. I, 9, 13, 14 causam suam ita dixit, ut res Christiana Romae laetissima incrementa inde caperet, non fuit praetorium militare vel castra cohortis praetorianae extra urbem (Kasernen), ut nonnulli interpretes N. T. volunt, sed aula Caesaris ipsa, οἰκία τοῦ καίσαρος Philipp. IV, 22. Nam quamquam πραιτώριον per se *castra praetoriana* significare potest, hoc tamen loco significatio illa admitti nequit. Non enim verisimile est, Paulum in re non militari causam suam in praetorianorum castris dixisse. Si vel μίσθωμα ἴδιον, in quo apostolus ἔμεινε διετίαν ὅλην, Act. XXVIII, 16, 30, 31, esset camera in praetorianis castris, ubi seorsim a militibus apostolus habitaret, ut Bertholdtius vult *Einleitung* T. VI, p. 3417; inde tamen non sequitur, apostolum in his castris causam dixisse. Deinde vox πραιτώριον in N. T. semper notat αὐλήν, οἶκον βασιλικὸν, *palatium regium*. Palatium regium, quod fuit Hierosolymae, vocatur *praetorium* Matth. XXVII, 27; Joh. XVIII, 28, 32; XIX, 9; Marc. XV, 16 verba: Οἱ στρατιῶται ἀπήγαγον αὐτὸν ἔσω τῆς αὐλῆς, ὅ ἐστι πραιτώριον, ita vertenda sunt: Milites eduxerunt eum intra aulam, quae est praetorium; et evangelista his additis verbis docere vult, aulam non fuisse palatium pontificis, sed palatium procuratoris vel praetorium. Palatia principum in universum *praetoria* nominata sunt; Sueton. Calig. 37: « In exstructionibus praetoriorum atque villarum, omni ratione posthabita, nihil tam efficere concupiscebat, quam quod posse effici negaretur." Cfr. Schrader in lib. laud. p. 213 sqq. Hemsen l. l. p. 537.

Jam si ponamus in ipsa aula Caesaris, quam toties officii causa adire solebat Seneca, Paulum suam dixisse causam, judicum et auditorum animos admiratione sui implevisse, immo nonnullos ἐν οἰκίᾳ Caesaris propensos ad evangelii doctrinam reddidisse: non mirum videbitur, quod Seneca hujus viri videndi et cognoscendi cupidus eum adierit, et cum eo colloquens, et ingenii alacritatem animique candorem admirans, consuetudinem quandam cum eo contraxerit; praesertim ratus, occasionem religionis Judaicae, multum celebritatis inter Romae incolas nactae, accuratius per doctorem Judaicum a Judaeis accusatum cognoscendae nequaquam praetermittendam esse.

C. Atque profecto *religio Judaica jam magnam Romae celebritatem tum temporis nacta erat.* Multi Judaei, a Pompejo captivi Romam deducti et libertate donati, vicos nonnullos urbis incolebant et secundum legem Mosaïcam sabbata et conventus sacros in pluribus synagogis et proseuchis celebrabant.

Multi urbis incolae multaeque feminae, vel novarum rerum studio, vel cupidine religionis, quae plures Deos et Deorum simulacra tolleret, cognoscendae flagrantes, synagogas Judaeorum festis diebus frequentabant.

Atque hic mos synagogas Judaeorum frequentandi tantum invaluerat, ut Romani Romanaeque sabbato quoque se invicem videndi et salutandi occasionem inde arriperent. Jam Ovidius *de Arte amandi* lib. I, 76 synagogas Judaeorum tamquam locos describit, in quos septimo quoque die multi et multae spectatum veniant, spectentur ut ipsi et ipsae. Suadet lascivae juventuti, ut frequentet

Culta Judaeo septima sacra Deo.

et vs. 415:

Quaque die redeunt rebus minus apta gerendis
Culta Palaestino septima festa Syro.

Juvenalis *Satyr.* III, 296:

In qua te quaero proseucha?

Omnes fere scriptores Romani istius aetatis Judaeos eorumque Romae frequentiam ritusque patrios in proseuchis septimo quoque die ab iis celebrari solitos commemorant: et quamquam eorum religionem superstitionem barbaram (3) vocant, pervicaciam superstitionis iis tribuunt, nonnunquam etiam dicteriis eos carpunt; ita tamen religionem eorum describunt, ut Seneca ejus accuratius cognoscendae occasionem sibi suppeditatam lubenter arripere posset.

Lucanus *Pharsal.* II, 593 hoc de Judaeorum religione judicat:

—— Dedita sacris
Incerti Judaea Dei.

---

(3) Cicero *pro Flacco* cap. 28; Quinctilianus *Instit. Orat.* III; Tacitus *Hist.* II, 4. Interdum etiam Judaeos ut ridiculos carpunt. Horatius minus verisimilia Judaeo Apellae, ut supra modum credulo, credenda relinquit, *Satyr.* I, 5 in fine; Persius „recuita sabbata pallentes" ridet, *Satyr.* 5, fin.; Juvenalis clementiam porcis indultam satyra dignam existimat, *Satyr.* XIV, 98; et quod pro mercede futura praedicerent ad consulentis votum, *Satyr.* VI, 543 sqq. Plutarchus *de Superstitione* iis objicit, quod sabbato desidentes, otiosi, hostibus scalas admoventibus, superstitione tamquam reti capti, se continuerint. Martialis passim in epigrammatibus Judaeos dicteriis infestat tum ob religionis placita quaedam, tum quod vilissimis mercimoniis se tolerabant, ideoque eos cum institoribus mercis sulphuratae conjungit. Quamquam vero scriptores Latini Judaeos gentem foedam, tetram, sordidam nominant, tamen ita eorum sententias de Deo describunt, ut laude digni videantur.

Plinius *Histor. Natur.* XIII, 4 nominat Judaeos « gentem contumelia numinum insignem." Tacitus *Histor.* V, 13 vocat Judaeos « gentem superstitioni obnoxiam, religionibus adversam." Idem *Histor.* V, 4: « Profana illic (apud Judaeos) omnia, quae apud nos sacra; rursus concessa apud illos, quae nobis incesta." Tum addit cap. 5: « Judaei mente sola unumque numen intelligunt: profanos, qui mortalibus materiis Deûm imagines in species hominum effingunt; summum illud et aeternum neque mutabile, neque interiturum. Igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sunt. Non regibus hic adulatio, non Caesaribus honor."

Juvenalis *Satyr.* XIV, 96 sqq.

Quidam sortiti metuentem sabbata patrem.
Nil praeter nubes et coeli numen adorant,
Nec distare putant humana carne suillam,
Qua pater abstinuit; mox et praeputia ponunt;
Romanas autem soliti contemnere leges,
Judaicum ediscunt et servant et metuunt jus,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moses.

Strabo, cujus scripta procul dubio Romae innotuerunt, libro XVI [p. 1104, A.] haec de Mose tradit: « Docuit ὡς, οὐκ ὀρθῶς Φρονοῦσιν οἱ Αἰγύπτιοι θηρίοις εἰκάζοντες τὸ θεῖον, οὐδὲ οἱ Ἕλληνες ἀνθρωποµόρφους (θεοὺς) τυποῦντες. Εἷς γὰρ τοῦτο µόνον θεὸς τὸ περιέχον ἡµᾶς ἅπαντας καὶ γῆν καὶ θάλασσαν, ὃ καλοῦµεν οὐρανὸν καὶ κοσµὸν καὶ τὴν τῶν ὄντων φύσιν. Τούτου δὴ τίς ἂν εἰκόνα πλάττειν θαῤῥήσειε νοῦν ἔχων;"

Videmus ex his et similibus locis, Romanos, quamquam Judaeis infestos, ea tamen de eorum religione rescivisse, quae Senecam utpote a superstitione gen-

tili longe alienum impellere possent, ut religionem Judaicam unius tandem numinis cultum acriter defendentem et simulacra Deorum respuentem, auxilio doctoris Judaici, eruditionis et eloquentiae laudem in praetorio Caesaris adepti, accuratius cognoscendam esse judicaret et Paulum captivum interdum adiret.

Fortasse obstat, *quod Seneca ipse Judaeis infestus fuisse videatur.* In fragmento enim libri Senecae deperditi, quod reperitur apud Augustinum *de Civit. Dei*, VI, 11, Seneca « reprehendit sacramenta Judaeorum et maxime sabbata eos inutiliter facere affirmat, quod per illos singulos septem interpositos dies septimam fere aetatis suae partem perdant vacando et multa in tempore urgentia non agendo laedantur. Hujus, inquit, interim usque eo gentis sceleratissimae consuetudo invaluit, ut per omnes jam terras recepta sit: victi victoribus leges dederunt" (4).

Non amicum erga Judaeos animum spirant etiam, quae leguntur in Epist. 95: « Accendere aliquem lucernam sabbatis prohibeamus, quoniam nec lumine Dii egent, et ne homines quidem delectantur fuligine" (5).

---

(4) Quippe multi Romani multaeque Romanae adoptare solebant sacra Judaeorum, et σεβόμενοι, σεβόμεναι, vel *metuentes* vocabantur. Sine dubio verbis *leges dederunt* Seneca respexit ad Mosaicae religionis leges.

(5) Lipsius ad hunc locum annotat: Lucernas accendere in honorem Deorum aut principum festis diebus, mos apud Romanos fuit: sed paulatim Judaici ritus invaluerunt et sabbati diem illa superstitione coluerunt. Persius Satyr. V, 179:

Herodis venêre dies, unctaque fenestra
Dispositae pinguem nebulam vomuêre lucernae.

Fortasse ea scripsit Seneca, cum nondum accuratiorem notitiam religionis Mosaicae sibi comparasset. Sed si vel ponamus, Judaeis Senecam non favisse, id tantum abest, ut Senecam a Paulo cognoscendo deterreret, ut eo proniorem eum ad Paulum adeundum reddere posset. Burrhus enim de Paulo non solum tamquam doctore Judaico, sed etiam a Judaeis vexato et ob apostasiam a lege Mosaica accusato et nova quaedam et religioni Judaeorum adversa docente locutus est. Igitur sive cognoscendae accuratius religionis Judaicae cupidus, sive adversarium religionis Judaicae eumque doctorem Judaicum a Judaeis accusatum et eruditione et eloquentia insignem auditurus, Paulum captivum adiit.

D. Atque eo majori desiderio Pauli videndi et cognoscendi ductum esse Senecam contendere possumus, quo verisimilius est, *eum jam antea de Paulo tamquam doctore Judaico perquam erudito, sed Judaeis inviso, nonnulla audivisse.*

Narratur enim Actor. XVIII, 12, Paulum, cum evangelium praedicans Corinthi commoraretur, a Judaeis ob eam rem illi infensis ad tribunal Gallionis proconsulis Achajae raptum esse, ut propter violatam patriae religionis sanctitatem justis poenis afficeretur; sed a Gallione, objurgatis accusatoribus, quod rem et quaestionem de religione, cujus arbiter non possit esse, ad ipsum detulissent, impunem dimissum esse. Hic vero Gallio fuit frater Senecae, antea dictus Marcus Annaeus Seneca, deinde vero, a Gallione rhetore adoptatus, Junius Annaeus Gallio vocatus est, idem, ad quem Seneca libros de Ira scripsit, Senecae amicissimus. Cfr. Tacit. Ann. XVI, 17 s

« Annaeus Mella (jussu Neronis interemtus est), iisdem, quibus Gallio et Seneca parentibus natus. » Seneca Quaest. Natur. IV in Praefat.; « Solebam tibi dicere, Gallionem fratrem meum (quem nemo non parum amat etiam, qui plus amare non potest) alia vitia non nosse, hoc etiam (adulandi) odisse. »

Cum igitur Seneca et Gallio consanguinitatis et amoris mutui plus quam fraterni vinculis arctissime conjuncti essent; non dubium est, quin inter ipsos commercium epistolarum extiterit, et Gallio inter alia etiam de Paulo Judaico doctore (6), Judaeis inviso, ad suum tribunal rapto et dimisso, ad fratrem quaedam scripserit, praesertim cum Paulus per totum annum et dimidium docens evangelium Corinthi degeret et procul dubio saepius a Judaeis vexaretur.

Sed fortasse non tanti visus est Paulus Gallioni, de quo Senecae fratri scriberet, neque Senecae, quem captivum adiret et cum quo colloqueretur.

E. Si quid auctoritatis fragmento Longini tribuere velimus, *Paulus inter coaevos eloquentiae fama floruit*, et hactenus dignus videri potuit, de quo Gallio Senecae scriberet et quem Seneca adiret.

Extat nempe fragmentum Longini, quod Hudsonius et post eum alii editores Longini tractatui περὶ ὕψους addiderunt, hujus argumenti: Κορωνὶς δ' ἔστω λόγου παντὸς καὶ φρονήματος Ἑλληνικοῦ Δημοσθένης, Λυσίας, Αἰσχίνης, Ἀριστείδης, Ἰσαῖος, Τίμαρχος, Ἰσοκράτης, Δημοσθένης ὁ καὶ Κρίθινος, Ξενοφῶν, πρὸς τούτοις

(6) Fortasse Lucas, assiduus Pauli comes neque etiam captivum apostolum deserens, reverentia erga Senecam ductus, in Actis tum temporis scriptis Gallionis honorificam mentionem fecit.

Παῦλος ὁ Ταρσεὺς, ὄντινα καὶ πρῶτόν φημι προϊστάμενον δόγματος ἀναποδείκτου.

Sic hoc fragmentum in Fabricii *Bibliotheca Graeca*, Vol. IV. pag. 445, et in editione Longini, quae mihi ad manus est, Lipsiae 1738, legitur. Sed Ruhnkenius in notis ad Rutilium Lupum *de figuris sent.* pag. 88, illud sic emendare vult: Κορωνὶς δ' ἔστω λόγου παντὸς καὶ φρονήματος Ἑλληνικοῦ Δημοσθένης, Λυσίας, Αἰσχίνης, Ὑπερίδης, Ἰσαῖος, Δείναρχος (Δημοσθένης ὁ Κρίθινος) (7), Ἰσοκράτης, Ἀντιφῶν, πρὸς τούτοις Παῦλος ὁ Ταρσεὺς, ὄντινα καὶ πρῶτόν φημι προϊστάμενον δόγματος ἀναποδείκτου. Mei non est dijudicare, quo jure Ruhnkenius hoc fragmentum ita emendaverit; in iis, quae ad rem meam faciunt, utraque hujus fragmenti lectio consentit, nempe in verbis: πρὸς τούτοις Παῦλος ὁ Ταρσεὺς, ὄντινα καὶ πρῶτόν φημι προϊστάμενον δόγματος ἀναποδείκτου. Paulus Tarsensis ergo in hoc fragmento decem claris Oratoribus Graecorum a Longino annumeratur, sed in vituperium ejus etiam dicitur: ὄντινα καὶ πρῶτόν φημι προϊστάμενον δόγματος ἀναποδείκτου, i. e., quem judico primum fuisse, qui placita justis argumentis destituta proponeret (8).

(7) Dinarchus per ludibrium cognomen habuit *Demosthenes* κρίθινος, nec non ἄγροικος, *der Hölzerne*, *Baurische Demosthenes*.

(8) Hug, in editione tertia libri: *Einleitung* etc. T. II. p. 335. aliam haec verba interpretandi rationem init. Verba ejus haec sunt: » Longin unterschied in der Beredsamkeit das ἀποδεικτικὸν von dem κατὰ φαντασίαν ἐκπληκτικῷ, das beweisende von dem, was lediglich auf Empfindung und Bewegung hinarbeitet. Wenn nun Longin hier von Rednern spricht, so ist δόγμα ἀναπόδεικτον ein Vortrag, der weniger auf beweise, als auf bewegung Rücksicht nimmt. Paulus schien den Kunstrichter mehr zu überreden, als zu beweisen." Fuit eloquentiae, quae res fortissimas decet, non concinnatae et in verba

Judicium hoc Longini de Paulo eloquente quidem, sed; quae profert, firmis argumentis non corroborante iniquius est, sed a persona Longini, hominis religioni Christianae adversantis et cum Porphyrio Malcho, acerrimo evangelii impugnatore, familiarissime viventis, nequaquam alienum. Longinus hoc judicio Paulum, tamquam Religionis Christianae, quae ipsi non firmo fundamento niti videbatur, doctorem, carpere voluit.

Atque profecto secundum specimen eloquentiae Paulinae, quod Lucas in Actis XVII exhibet, et quod passim in ejus epistolis, e. g. 1 Cor. XIII extat, judicare possumus quanta vi et φρονήματι in dicendo excelluerit, quam idoneus ad orationes componendas fuerit, et quidem ejusmodi, ut Paulus a Longino claris oratoribus Graeciae annumerari posset (9).

Haec de Paulinae eloquentiae vi et celebritate opinio repugnare quidem videtur loco 2 Cor. XI, 6, ubi Paulus se ipsum vocat ἰδιώτην τῷ λόγῳ. Sed diversae sunt de his verbis explicandis interpretum sententiae. Sunt enim, ut jam supra in Prodromo notatum est, qui existiment, Paulum se nominare ἰδιώτην τῷ λόγῳ, non quatenus dexteritatis in dicendo fuerit (unica enim coram Atheniensibus in Areopago oratiuncula habita contrarium doceret), sed quatenus tenuiter pronuntiaverit, actione bene composita caruerit, qua-

sollicitae, sed ingenti animo, prout impetus tulit, res suas persequentis. Seneca de Benef. VII, 8.

(9) Graecis oratoribus in usu fuisse, non solum de rebus civilibus, sed etiam de rebus sacris orationes componere, testatur Plutarchus in Vita decem Oratorum Graeciae. In Vita Lycurgi dicit: » Multas etiam de rebus sacris habuit orationes."

tenus ἀσθενὴς ἡ παρουσία τοῦ σώματος καὶ ὁ λόγος ἐξουθενημένος ei fuerit, ut ipse fatetur apostolus 2 Cor. X, 10. Cfr. interpretes ad hunc locum et potissimum Moshemius *Erklärung des zweyten Briefes an die Corinthier*, Kleuker l. l. T. III. ab initio (10).

Istis igitur illecebris, quae animos auditorum potissimum permulcere solent, Paulus destitutus fuit; hinc non placuit Corinthiis, hinc aliis e. g. Apollonio posthabitus est, quamquam argumentum orationum ab apostolo habitarum vel scriptarum ita comparatum esset, ut dicendi vis et dexteritas nullo modo desideraretur. Longinus, si quas orationes Pauli vidit, scriptas, quae nunc deperditae sunt, vidit, et ob illarum argumentum, vel etiam tantummodo ob argumentum epistolarum Paulinarum, eum optimis Graeciae oratoribus annumeravit.

Caeterum adhuc annotandum est, verba ultima hujus fragmenti de Paulo Tarsensi a Fabricio et Ruhnkenio, cui etiam Thalemannus in Dissertatione de Paulo non Graece, sed Judaice docto adstipulatur, pro spuriis et a Christiano quodam additis haberi. Quod vix credi potest, cum ista verba animum ad-

---

(10) Omnino hoc loco notandum est, cum olim theologi eruditioni et eloquentiae Pauli nimium tribuerent, eumque polyhistora facerent, recentiores theologos inde a Thalemanni temporibus in contrariam sententiam delapsos justo minus eruditioni et eloquentiae Paulinae concessisse. In Epistola ad Romanos et priori ad Corinthios tam luculenta Graecae et philosophiae et eloquentiae vestigia extant, ut de eruditione Pauli Graeca aliqua eaque non vulgari vix dubitari possit. Quod attinet ad ejus eloquentiam, Chrysostomus, idoneus hujus rei arbiter, magni facit eloquentiam Paulinam, et ex Act. XIV, 12 recte colligit, non absque causa Lycaones Paulo nomen Mercurii dedisse.

versus religionem Christianam inimicum spirent. Longinus praeterea, quamquam ethnicus, multum commercii cum Christianis habuit, et sacras literas Judaeorum et Christianorum legendi occasionem habuit et re vera legit.

In libro enim περὶ Ὕψους, cap. 9, mentionem facit verborum Mosis, Gen. I, 3: Ὁ Ἰουδαίων θεσμοθέτης, οὐχ ὁ τυχὼν ἀνὴρ, ἐπειδὴ τὴν τοῦ θείου δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐχώρησε, καλῶς ἐφρόνησεν εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας τῶν νόμων· Εἶπεν ὁ θεὸς, φησὶ, τί; γενέσθω φῶς, καὶ ἐγένετο φῶς (11).

Jam si auctoritate Longini permoti existimamus, Paulum ob vim et φρόνημα in dicendo inter coaevos nominis quandam celebritatem nactum esse: verisimile fit, Gallionem de Paulo Corinthi commorante et a Judaeis accusato nonnulla fratri Senecae scripsisse, et Senecam ipsum, simulac de Paulo Romae commorante et causam suam in praetorio dicente, jam antea sibi noto audivisset ab amico Burrho, non abstinere potuisse, quo minus apostolum captivum adiret, cum eo colloqueretur, de rebus sacris Judaeorum interrogaret, et Pauli doctrina, facundia et morum integritate delectatus, saepius eum adiret et consuetudinem aliquam cum eo aleret.

F. Huc accedit, quod *Paulus per totum bien-*

(11) Plutarchus in libro de Vitis Oratorum Graeciae etiam decem Oratores nominat, sed ex parte alios, quam in fragmento Longini. Recitantur nempe Antiphon, Andocides, Lysias, Isocrates, Isaeus, Aeschines, Lycurgus, Demosthenes, Hyperides et Dinarchus. Hinc Plutarchus de Paulo silens nil contra authentiam ultimorum verborum fragmenti Longini probat. Hug loc. cit. authentiam verborum istorum defendit.

nium et fortasse longius adhuc temporis intervallum (12) *Romae captivus commoratus* est, et excipiendi cunctos, qui eum adire et de rebus sacris docentem audire vellent, veniam habuit. Cfr. Act. XXVIII, 30, 31: Διδάσκων τὰ περὶ τοῦ κυρίου μετὰ πάσης παῤῥησίας ἀκωλύτως. Vix credibile est, de Paulo per tam longum temporis intervallum Romae commorante, suam causam in aula Caesaris dicente, novam religionem ex Judaeis oriundam et Judaeis adversam docente, et praeterea ingenii et eloquentiae famam aliquam nacto, nihil ad aures Senecae pervenisse, praesertim cum multos ex ipsa domo Caesaris, Paulo docente et exhortante, religionis Christianae factos esse asseclas satis constet. Etenim Phil. IV, 22 haec leguntur: « Salutant vos omnes Christiani, (qui Romae sunt), maxime vero οἱ ἐκ τῆς καίσαρος οἰκίας." Cfr. I, 13, 14. Qui sint οἱ ἐκ τῆς καίσαρος οἰκίας, quorum nomine Paulus Romae captivus Philippenses salutat, de eo ambigitur inter interpretes. Alii sub hac phrasi intelligunt cognatos imperatores, (nam vox οἰκία hanc significationem admittit, cfr. interpretes ad h. l.); alii ministros aulicos et amicos Neronis, ut ipse Seneca hac phrasi comprehendi possit; alii libertos et servos Neronis, vel etiam praetorianos milites (13). Sed sive hanc, sive illam istius phrasis

(12) Plura argumenta me movent, ut iis assentiar, qui alteram captivitatem Pauli negant et statuunt, apostolum in prima captivitate, paulo post incendium Romae a Nerone motum sed Christianis imputatum, supplicio affectum esse. Cfr. Schmidt *K. G.* T. I, 80; Löffler *kleine Schriften*, T. III, 216—253; Schrader *der Apostel Paulus*, p. 226 sqq.

(13) Hos praetorianos potissimum intelligit Bertholdt l. l. Tom.

significationem posueris ; hoc ex illo loco patet, Paulum in aula Caesaris magnam celebritatem multosque amicos et novae doctrinae asseclas nactum esse. In tanta igitur Pauli et Paulinae doctrinae celebritate in aula Neronis, fama hujus viri ad Senecam etiam venit et virum rerum divinarum curiosissimum impulit, ut Paulum adiret et, doctrina ejus et morum integritate cognita, consuetudinem aliquam cum eo necteret.

G. Sed forsitan quispiam dixerit: Non verisimile est, *Senecam, virum ad summos honores evectum et grandi divitiarum copia abundantem eo adductum esse, ut Paulum hominem pauperculum, nullis honoribus insignem, immo captivum saepius adiret*, colloquia de rebus sacris cum illo necteret et familiaritate quadam eum dignaretur. Cum Athenienses philosophi, Stoici et Epicurei, Paulum Athenis evangelium docentem summa arrogantia tractarent, eumque σπερμολόγον dictitarent; vix cogitari potest, Paulum a Seneca et philosopho Stoico et aulico et purpurato colloquio et familiaritate dignum judicatum esse.

Quodammodo ad hanc objectionem jam in antecedentibus responsum est, sed majoris adhuc momenti haec sunt:

Seneca, quamvis honorum splendore, divitiarum copia et eloquentiae ingeniique laude celeberrimus fuerit, non tamen superbia et arrogantia turgidus vilioris conditionis homines altis despexit superciliis,

---

VI, p. 3415; opinatur οἰκίαν καίσαρος esse praetoriana castra, et τοὺς ἐκ τ. καίσ. οἰκ. praetorianos milites, qui custodiam apostoli agebant, quosque de evangelio edocendi occasionem habebat apostolus.

immo potius mitibus et ad humanitatem compositis moribus excelluit. Cuilibet lectori operum Senecae notum est, quoties humanitatis officia erga vilioris sortis homunculos commendet, quoties doceat, eadem origine, qua dominos, gaudere servos et hinc benigne tractandos esse. In Epist. 47. Lucilio suo haec scribit: « Libenter cognovi, familiariter te cum servis tuis vivere; hoc prudentiam, hoc eruditionem decet. Servi sunt? immo homines. Servi sunt? Immo *conservi*. — Cogita istum, quem servum tuum vocas, ex iisdem seminibus ortum —. Vive cum eo clementer, comiter quoque et in sermonem admitte et in consilium et convictum —. Stultissimus est, qui hominem aut ex veste aut ex conditione aestimat."

Multus inprimis in lib. III. de Beneficiis Seneca est in commendandis erga servos et vilioris sortis homines humanitatis officiis et c. 28. haec injungit: « Neminem despexeris, etiamsi circa illum obsoleta sunt nomina et parum indulgente fortuna adjuta. Sive libertini ante vos habentur, sive servi, sive exterarum gentium homines: erigite audacter animos et quicquid in medio sordidi jacet, transilite; expectat vos *in summo* magna nobilitas." (in summo, id est, in prima origine). Nemo etiam fuit, qui contenderet, Senecam aliter hac de re locutum esse, aliter egisse. Multi quidem antiquioris et recentioris aevi fuere, qui de Senecae animo et moribus inique judicarent (14); nemo tamen eum arrogantiae et iniquita-

(14) Cfr. Lipsius in Vita Senecae, qui nonnullos calumniatores

tis erga deterioris conditionis homines accusavit. Demetrium, Cynicum philosophum, pauperrimum, seminudum et stramentis incubantem, virum alias vitae sanctitate conspicuum, ita coluit, ut eum conchyliatis anteferret et iterum iterumque in scriptis suis summam erga eum reverentiam testaretur. In Epist. 62: « Non cum illis," inquit, « moror, quibus me causa ex officio nata civili congregavit, sed cum optimo quoque sum; ad illos, in quocunque loco fuerint, animum meum mitto. Demetrium, virorum optimum, mecum circumfero et relictis conchyliatis cum illo seminudo loquor, illum admiror." De Benef. VII, 8: « Illum mihi videtur rerum natura nostris tulisse temporibus, ut ostenderet, nec illum a nobis corrumpi, nec nos ab illo corripi posse; virum exactae (licet neget ipse) sapientiae, firmaeque in his, quae proposuit, constantiae, eloquentiae vero ejus, quae res fortissimas deceat, non concinnatae, nec in verba sollicitae, sed ingenti animo, prout impetus tulit, res suas prosequentis. Huic non dubito, quin providentia et talem vitam et talem dicendi facultatem dederit, ne aut exemplum seculo nostro aut convicium deesset." Cfr. de Benef. VII, 1, Epist. 70, Epist. 67, de Vita beat. 9, 18, cet.

Cum igitur Seneca homines non ex veste et conditione, sed ex moribus et sapientia aestimaret, et cum hominibus pauperculis, modo ingenio et vitae integritate insignibus, familiariter vivere non dedignaretur, tantum abest, ut familiaritas aliqua cum

---

Senecae nominat et refutat, et Diderot *Leben des Seneca übersetzt* vor 1783.

Paulo, captivo et tenuis census homine, a persona et ingenio Senecae sit aliena, ut ei sit accommodatissima.

H. Objici etiam potest, si familiaritas aliqua inter Senecam et Paulum extitit, et si ille placita religionis Christianae cognoscendi occasionem habuit: *quomodo fit, ut ne ullum quidem propensi erga Christianos animi vestigium, imma ne verbum quidem de rebus Christianorum in scriptis Senecae*, quorum nonnulla inter et post Paulinam Romae commorationem exarata sunt, reperiatur?

a. Quippe Seneca praestantiam eorum, quae Paulus de Deo universi mundi conditore et moderatore, de idolorum vanitate, de mythologiae paganae ineptiis, de Deo pura mente colendo, de Deo patris instar homines amante et probante, et de altera vita docebat, sensit et magni aestimavit. Sed eadem etiam in scriptis philosophorum ethnicorum et in Stoica, quam sectabatur, philosophia reperisse sibi visus est. Verum enimvero *doctrina de Christo, Dei filio*, humano *corpore induto*, pro *peccatis hominum mortuo et crucifixo et resuscitato et in coelum evecto*, quam Paulus potissimum praedicabat, *Senecae*, ut aliis tum temporis philosophis, *fuit μωρία*. Cfr. 1 Cor. I, 20—31. Act. XVII, 31, 32.

b. Deinde Seneca, cum Paulum cognosceret et audiret, jam *consenuerat innutritus in Stoicorum sapientia*, et Stoica de rebus sacris sentiendi et cogitandi ratio tam altas radices in ejus animo egerat, ut a nova evangelii doctrina, multis Stoicorum placitis prorsus adversa, vix ac ne vix quidem evelli posset. Approbavit Pauli doctrinam, quatenus cum Stoico-

rum placitis consentiret; non admisit, quatenus iis esset contraria. Mansit Stoicorum assecla usque ad mortem, mortem voluntariam commendans, quoad spem alterius vitae semper fluctuans, humanas vires ad bene beateque vivendum supra modum extollens, et Catonem Uticensem tamquam exemplum sapientiae omnibus numeris absolutae considerans.

o. Huc accedit, quod Seneca homo *ingenti divitiarum copia abundans* fuit, et quicquid etiam Lipsius et Diderot ad Senecam in hac causa defendendum dixerint, et quicquid ipse de divitiis parum aestimandis scripserit, *divitiarum pecuniaeque justo amantior.* Merito suspecta habemus, quae hostes Senecae objecerunt, e. g. Suilius, qui, ut Tacitus Ann. l. XIII, 42. refert, ita objurgavit Senecam: « Qua sapientia, quibus philosophorum praeceptis intra quadriennium regiae amicitiae ter millies sestertium (i. e. ex nostra computandi ratione septuagies quinquies centena millia solidorum imperialium, seu 7500000 Reichsthaler) paravisset? Romae testamenta et orbos ejus indagine capi. Italiam et provincias immenso foenore hauriri."

Porro Dio Cassius, hostilem erga Senecam animum ubique in historia temporis illius prae se ferens, inter causas Britannici belli refert, quod Seneca, cum quadringenties sestertium vel decies centena millia imperialium (eine million Reichsthaler) magno foenore Britannis credidisset, universam illam pecuniam uno tempore repetebat." Mittamus haec et alia, quae hostes Senecae objecerunt, tamquam incerta. Certius et aequius de Seneca ex ipsius verbis judicabimus. Ipse confitetur in libro de Tranquillitate,

cap. 1: « Tenet me summus amor parsimoniae." Et pecuniae damnum vel jacturam, si quando experiretur, quam acerbe tulerit, in eodem libro c. 8. his verbis testatur: « Si omnia alia, quibus angimur, compares cum iis quae nobis mala exhibet pecunia nostra, haec pars multum praegravabit. Erras enim, si putas animosius detrimenta divitos ferre; maximis minimisque corporibus par est dolor vulneris. Bion eleganter ait: non minus molestum esse comatis quam calvis, pilos velli." Quis miretur, hominem tanta divitiarum copia instructum et pecuniae justo amantiorem non propenso erga religionem Christianam animo fuisse, praesertim tum temporis, cum plerique Christiani egestate laborarent, et divitibus, si qui ad sacra Christianorum accessissent, egestas multorum ex suis opibus sustentanda esset. Quis non recordetur effati Jesu apud Matth. XIX, 24: εὐκοπώτερόν ἐστι κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελθεῖν; *d.* Senecam porro, quamquam philosophum, non *semper uniue ejusdemque coloris et tenoris in dictis factisque fuisse*, et plus quam philosophum decet, ex utili agendi et loquendi rationes metiri temporibusque inservire solitum fuisse, multis ex rebus patet. Quis est, qui approbet, quae Seneca in exsilio ad Polybium Claudii libertum de fratris morte lugentem scripsit? quis non indignetur, philosophum vili adulatione falsisque laudibus liberti et Claudii benevolentiam captantem (15), illius, inquam, Clau-

(15) Ipse Lipsius, defensor Senecae acerrimus, in notis ad hunc li-

dii, quem paullo post mortuum in nota illa Apocolocyntosi dicteriis et scommatibus infestavit? Quis est, qui probet orationem ab eo compositam, quam post mortem Claudii, die funeris, Nero ejus successor publice habuit, falsis laudibus Claudii ita plenam ut, quemadmodum Tacitus Ann. XIII, 3 refert, postquam ad providentiam sapientiamque Claudii, mirum in modum stolidi, flexit, nemo risui temperare posset, quamvis oratio multum cultus praeferret? Quis miretur, virum ita a rebus et temporibus pendentem, non propenso in religionem Christianam animo fuisse, neque si fuerit, in scriptis iis testari voluisse, quae versus finem captivitatis Paulinae exarata sunt, cum confessio religionis jam periculosa esse coepisset? Nero enim nequaquam paullo post incensae Romae culpam in Christianos conjecisset et contra eos gravissima quaevis statuisset, nisi eos caeteris Romae incolis invisos esse compertum habuisset, vel ipse inimico erga Christianos animo fuisset (16).

e. Addi potest etiam hoc: *Plures libri Senecae deperditi sunt, in quibus fortasse Christianae religionis mentionem fecerat*, e. g. liber de Superstitione, liber de Matrimonio aliique, quos Lipsius in Vita Senecae recenset. Vel etiam in libris Senc-

---

brum cap. ult. dicit: » Inter alia ex hoc scripto disco, quam maximi viri labi et jacere possint."

(16) Causa odii, quod Nero in Christianos habuit, haec fuisse traditur, quod Paulus pellicem Neronis ab eo peramatam evangelii doctrina ita emendaverat, ut Neroni non amplius morem gerere vellet.

cae, qui adhuc superstites sunt, loci, in quibus religionis Christianae mentio facta erat, forsitan deleti sunt, quia iniquius judicium de religione Christiana continerent. Huc refero Epistolam 98, in qua post lacunam manifestam sermo est de sene quodam venerabili, multa passo et Paulo simillimo (17).

Eadem ratio est librorum *Senecae ac Philonis*. Philo sine dubio ea, quae Hierosolymis cum Jesu acta essent et quae apostoli ad ibi fundandam religionam novam, Mosaicae in multis adversam, molirentur, cognoverat. In libro contra Flaccum et in Legatione ad Cajum saepenumero rerum tum temporis in Palaestina gestorum, Pilati ejusque arrogantiae avaritiae et injustitiae cet. mentionem facit ita, ut pateat, Philonem etiam eorum, quae ad Jesum ejusque doctrinam et asseclas pertinent, non ignarum fuisse. Ut taceam de multis Alexandrinis Judaeis, qui festis temporibus catervatim Hierosolymam migrabant et Alexandriae reduces, quae Hierosolymis acciderant, narrabant cuivis popularium rerum novarum cupido.

Sed ne verbo quidem in omnibus scriptis Philonis et nominatim in supra laudatis, Christi ejusque doctrinae et Christianorum fit mentio. Quippe vel periculosum Philoni hac de re judicium ferre visum est, vel loca, in quibus Jesu ejusque doctrinae mentionem fecit, a Christianis deleta sunt, cum essent rebus Christianorum contraria (18).

---

(17) Plura de hac epistola et sene venerabili, cujus in ea mentio fit, et qui Paulo simillimus est, infra dicentur in capite V, E.

(18) In eo habeo assentientem beatum Tzschirnerum, qui in no-

d. Haec omnia traditionem de consuetudine quadam inter Senecam et Paulum reddunt valde probabilem, etiamsi nihil in hac re *formulis loquendi biblicis, quae in Senecae scriptis passim occurrunt*, et *aliis Romanorum tum temporis scriptoribus plane inusitatae sunt*, tribuere velimus. Huc referenda est vox *caro* in sensu biblico, ut respondeat Graeco vocabulo σάρξ, et denotet vitiosam hominis naturam, malarum cupiditatum sedem quasi ac focum, quo sensu numquam occurrit apud profanos scriptores. Cfr. Fabri Thesaurus sub voce *caro*. In hoc sensu biblico vox ter occurrit. De Consolat. ad Marc. 24: « Animo cum hac *carne* grave certamen est, ne abstrahatur." Ep. 65. haec leguntur; « Ego nesciam, unde descenderim? quo hinc iturus sim? quae sedes expectet animam, solutam legibus servitutis humanae? — Major sum et ad majora genitus, quam ut mancipium sim mei corporis. — Quicquid in me potest injuriam pati, hoc est, in hoc obnoxio domicilio; animus liber habitat,

---

tissimo libro: *der Fall des Heydenthums* T. I, 295. haec habet: » Wahrscheinlich ist est mir, dass nicht die wenigen Griechischen und Römischen Schrifsteller nur der Christen gedacht haben, bey denen wir eine kurze Erwähnung derselben finden; sondern dass die meisten stellen, welche auf die Christen sich beziehen, darum von den Abschreibern weggelassen worden seyen, weil sie Tadel der Christen oder Spott über ihre Lehre enthielten. Auf diese Vermuthung führt mich nicht nur der Untergang der Später den Christen entgegengesetzten Schriften, sondern auch der Umstand, dass in vielen Handschriften des Lucians die Schrift von dem Tode des Peregrinus Proteus fehlt, und in einer derselben ausdrücklich angegeben wird, diese Schrift sey übergangen worden, weil der Verfasser über das Christenthum spotte. S. die Ausgabe des Lucians von Reitz T. III. p. 325.

numquam me *caro ista* impellet ad metum." Epist. 74: « Non est summa felicitatis nostrae *in carne* ponenda." —

Huc referendum est, quod legitur de Vita beat. 2: « Quaeramus, quod nos in possessione *felicitatis aeternae* constituat." Vix crediderim in ullo scriptore Romano, non Christiano, sermonem esse *de felicitate aeterna* et de studio felicitatis aeternae consequendae.

His annumeranda est loquendi formula: « Nec ego *Epicuri angelus* scio, cet. (Epist. 20.); *sacer* intra nos *spiritus* sedet; *animus magnus* et *sacer* et in hoc demissus, ut divina propius nossemus, conversatur nobiscum, Epist. 41; *aeterna requies*, *aeterna pax*, ad Marc. 19 et 24; *parens noster*, *magnificus ille parens*, de Provid. I. cet.

His et aliis loquendi formulis biblicis, quae in Seneca occurrunt, ad probandam familiaritatem Pauli et Senecae per se non multum tribui posse, lubens concedo. Nam ista formulae hoc tantum docent, Senecam nonnulla de Judaeorum et Christianorum placitis ulla aliqua via rescivisse.

Idem de *sententiis et dictis* biblicis, quae in Seneca occurrunt, statui potest.

In Epist. 47. haec leguntur: « Deus colitur et amatur. Non potest amor cum timore misceri." Cfr. 1 Joh. IV, 18. De Benef. I, 10; V, 17: « Hoc majores nostri questi sunt, hoc nos querimur, hoc posteri nostri querentur, regnare nequitiam. — Idem semper pronuntiare debebimus, malos nos esse, fuisse et futuros esse." Cfr. de Clem. I, 6; de Ira I, 14. et Paulus ad Rom. III, 11, 25. Epist. 87: « Non

nascitur ex malo bonum, quam ficus in olea." Cfr. Matth. VII, 6. Epist. 75: « Non est beatus, qui scit illa, sed qui facit." Cfr. Joh. XIII, 17. Epist. 122: « Gravis malae conscientiae lux." Cfr. Joh. III, 20. De Beat. Vit. 25: « Papulas observatis alienas obsiti plurimis ulceribus." Cfr. Matth. VII, 3. Ibidem: « Nulla hora sine querela est." Cfr. Matth. VI, 34. De Constant. 7: « Potest aliquis nocens fieri, quamvis non nocuerit; omnia scelera etiam ante effectum operis, quantum culpae satis est, perfecta sunt. Si quis cum uxore, tamquam aliena concumbat, adulter est." Cfr. Matth. V, 27. De Benef. IV, 26; VII, 31:" Si Deos imitaris, da et ingratis beneficium; nam et sol oritur sceleratis; spargunt Dii opportunis imbribus terras." Cfr. Matth. V, 44 sqq. Epist. 1: « Quem mihi dabis, qui intelligat, se quotidie mori." Epist. 24: « Quotidie morimur." Cfr. 1 Cor. XV, 31, ubi Paulus dicit: Καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκω. Cfr. 2 Cor. IV, 10.

Haec et similes sententiae biblicae, quae in Seneca occurrunt, conferunt quidem ad probandam Senecae et Pauli familiaritatem, sed illam non per se testantur (19). Majoris momenti in ea re mihi videtur esse epistola de Providentia, quae, ut supra ostendi,

(19) Observatu dignum est, plura dicta Jesu ipsius exprimi in Senecae scriptis, ibique locos parallelos habere; Bertholdt, *Einleit.* T. VI. putat, evangelii doctrinam, vivente adhuc Jesu, Romae innotuisse, et coetum Christianorum Romanorum jam ante reditum Christi ad Deum originem habuisse eique potissimum σεβομένους ex gentilibus se associasse. Quod si verum est, inde jam de dictis Jesu aliquid ad aures Senecae pervenire potuit.

quoad argumentum, expositionem, sententias et phrases et verba, cum Epist. ad Hebraeos, maxime cum capite XII hujus epistolae concordat.

CAPUT QUINTUM.

Epistola ad Hebraeos scripta est eodem tempore et loco, *quo ista familiaritas Pauli et Senecae extiterit necesse est et extitisse traditur.*

In eo omnes fere commentatores nostrae epistolae et chronologiae librorum N. T. computatores consentiunt, quod epistola nostra ante Hierosolymae excidium scripta sit. Bertholdt l. l. T. VI. p. 2969. judicat eam non ante annum 62, et non post annum 67. scriptam; *non ante annum* 62, quoniam persecutio Christianorum Palaestinensium sub pontifice Anano post mortem Festi, ad quam in epistola respiciatur, anno 62 p. Chr. n. acciderit; *non post annum* 67, quod in hoc anno bellum Judaicum, cujus nulla in epistola mentio fiat, jam initium ceperit. Accuratius scriptionem epistolae intra annum 63—66. ponit. Bleek l. l. p. 435. inter persecutionem Neronianam et bellum Judaicum, et quidem post mortem Pauli, intra annum 65—67. scriptam esse putat. Böhme Praef. XXIV—XXVII serius adhuc tempus versus finem belli Judaici scriptioni ejus constituit (1). Schröckh, K. G. T. II, 178, Paulo

(1) Köhler, *über die Abfassungszeit der Epistol. Schriften*

epistolam tribuens, scriptionem ejus ad annum 65 exeuntem refert. Pauci tantummodo scriptionem ejus ad tempora post Hierosolymae excidium retulerunt; e. g. Orelli *Select. Patr. Eccl. capp. ad εἰσηγητικὴν sacr. pert.* P. III, Turic. 1822, qui annum 90 constituit. Sed perperam. Nam tantum abest, ut vestigia quaedam Hierosolymae jam dirutae in ea reperiantur, ut per totam epistolam templum, et quae ad cultum templi et ritus in eo peragendos pertinent, adhuc superesse et celebrari ponatur. Nonnulli ad seriora tempora epistolam referentes statuerunt, auctorem ad templum Judaicum Leontopoli in Aegypto sub Ptolemaeo Philometore 150 annos ante Chr. n. ad effigiem templi Hierosolymitani exstructum respicere, hinc etiam multa aliter, ac in templo Hierosolymitano fuerunt, describere. Sed si vel ad hoc templum respexisset (2), tamen templi diruti Hierosolymitani mentionem aliquam fecisset, si revera jam dirutum fuisset.

A. Sed ut accuratius tempus constituamus, quo epistola nostra scripta est, necesse erit, disquirere; *quinam ii sint, ad quos scripta est.* Illud ab hoc, ut infra videbimus, pendet.

Multum disputatum est, quinam illi, ad quos missa est haec epistola, fuerint, utrum Judaei Christo nondum fidem habentes, an jam in Christum cre-

---

des N. T., Lipsiae 1830. p. 201. ita de tempore, quo scripta est epistola, judicat: „Der Brief ist im Spätsommer des Jahres 69, nicht lange vor dem Herbst-Aequinoctium geschrieben." Argumenta vero, quibus haec computandi ratio nititur, non satis firma sunt, ut infra docebitur.

(2) Josephus *Antiq. Jud.* XIII, 6. de hoc templo loquitur.

dentes? utrum Hierosolymis degentes, an Christiani ex Judaeis in aliis urbibus et regionibus Asiae et Europae commorantes?

Schmidt in libro: *Einleitung ins N. T.* T. I, p. 281—293. ad Christianos ex Judaeis Alexandrinos scriptam esse contendit ob *Alexandrinam dicendi rationem*, quae huic epistolae propria sit, ob *auctoritatem* canonicam, quam primo in *Alexandrina ecclesia* nacta sit, et ob titulum: « *Epistola ad Alexandrinos*," quem in *Catalogo librorum* N. T. canonicorum a Muratorio edito (fragmento in fine saeculi secundi ab anonymo quodam auctore scripto) habeat. Argumentum *primum* magis ad auctorem epistolae, quam ad eos, quibus scripta est, referendum esset, quamquam secundum ea, quae supra dixi, dictio nostrae epistolae ne auctorem quidem Alexandrinum fuisse arguit. *Secundum* argumentum hoc tantum probat, argumentum epistolae et tractandi rationem Alexandrinis doctoribus, quippe literarum elegantiorum studiosioribus, placuisse, et Paulo dignam epistolam iis visam esse, vel originem Paulinam epistolae ulla aliqua ratione iis innotuisse. *Tertium argumentum* re prorsus incerta nititur. Nam in illo fragmento non disertis verbis epistola nostra dicitur *Epistola ad Alexandrinos*. Sed commemoratis tredecim epistolis Paulinis ὁμαλογουμένοις, sermo est etiam de duabus spuriis, nempe de epistola ad Laodicenses et epistola ad Alexandrinos. Hanc epistolam ad Alexandrinos et nostram epistolam eandem esse putarunt. Sed perperam. Neque enim in ullo codice vel scriptore ecclesiastico nostra epistola ita nominatur, sed semper titulo « *ad Hebraeos*" insignitur.

Epistola ad Alexandrinos Paulo supposita extitit quidem, sed diversa a nostra, et paullo post obliterata et nunc plane deperdita. Quod vero Epistola ad Hebraeos in isto Catalogo non commemoratur, id ideo factum est, quod tum temporis in Romana ecclesia inter canonicos N. T. libros ista epistola nondum recepta erat. Cfr. Bleek, *lib. laud.* p. 42—44. Bertholdt, T. VI, p. 2836 et 2889. not. 2. Hug, *Einl.* T. II. 482. Storr, *Uebersetzung des Briefes an die Hebräer*, in praefatione multo eruditionis apparatu et ingenii acumine docet, nostram epistolam ad Christianos ex Judaeis in Galatia et uno eodemque tempore cum epistola ad Galatas scriptam esse, illam Christianis ἐκ περιτομῆς, hanc Christianis ἐξ ἀκροβυστίας destinatam esse, sed gravissimis argumentis a Bertholdtio p. 2842—2854 refutatur. Semler et Nösselt ad Christianos ex Judaeis Thessalonicenses, Boltens ad Christianos Palaestinenses ex patria ob vexationes Judaeorum fugientes et in minori Asia peregrinantes, Wetstenius ad Christianos Romanos, Weber ad Christianos ex Judaeis Corinthios scriptam esse epistolam ostendere studuerunt, speciosis magis quam firmis argumentis usi (3).

Antiquissima et verisimillima sententia est, *scriptam esse* ad *Palaestinenses Christianos* Hierosolymae vel *in confinitis Hierosolymae commorantes.*

1. Hoc docet *jam titulus:* « ad Hebraeos." Non multum quidem auctoritatis inscriptionibus et sub-

(3) Cui volupe, est refutationem horum argumentorum legere, adeat Bertholdtum, *l. l.* et Bleekium, *lib. laud.*

scriptionibus epistolarum N. T. tribuere solent commentatores N. T. Non tamen verisimile est, auctorem nostrae epistolae sine titulo et inscriptione eam dimisisse, neque accuratius eos, ad quos epistola mittenda esset, designasse (4). Jam quaeritur, *quinam sint hi Hebraei*, quos nominat titulus. Secundum loquendi consuetudinem inter Christianos, quae primo saeculo et serius obtinuit, Hebraei vocabantur *Christiani Palaestinenses*. Act. VI, 1. leguntur haec: Ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις ταύταις, πληθυνόντων τῶν μαθητῶν, ἐγένετο γογγυσμὸς τῶν Ἑλληνιστῶν πρὸς τοὺς Ἑβραίους, ὅτι παρεθεωροῦντο ἐν τῇ διακονίᾳ τῇ καθημερινῇ αἱ χῆραι αὐτῶν. Hic Hellenistae opponuntur Hebraeis, hoc sensu, ut illi sint Christiani ex Judaeis non Palaestinenses, ex peregrinis regionibus oriundi et dialecto Graeca uti soliti, et hi Christiani Palaestinenses indigenae, dialecto Hebraica vel Aramaeica utentes. Hinc etiam evangelium, quo Palaestinenses Christiani utebantur, evangelium secundum Hebraeos nominatum est. Neque obstat Phil. III, 5, ubi Paulus Tarsi natus se vocat Hebraeum ex Hebraeis. Non enim negatur, Judaeos ex Judaicis parentibus natos vocari posse Hebraeos, sed contenditur non in usu fuisse, ut Christiani ex Judaeis extra Palaestinam nati Hebraei vocati sint. Hoc sensu Hebraei etiam dicuntur ab Irenaeo adv. Haer. III, 1, ubi Matthaeus

---

(4) Opinionem Bergeri, epistolam nostram fuisse ab initio homiliam, et a seriori quodam doctore Christiano ultimos versus eo consilio additos esse, ut speciem epistolae nanciscereturn (cfr. Bergeri *Moralische Einleitung ins N. T.* T. III, p. 442. et libellus: *Der Brief an die Hebraër eine Homilie, in der Götting. Theol. Bibl.* T. III. N. 3.) multis refutavit Bertholdt l. l. p. 2893 et sqq.

dicitur scripsisse suum evangelium ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ αὐτῶν διαλέκτῳ. Si vel latiorem significationem vocis « Hebraei" sumamus, tamen in epistola ad Christianos scripta notantur illa Palestinenses Christiani.

2. *Argumentum nostrae* epistolae etiam ita comparatum est, ut sub Hebraeis, quos titulus habet, Christiani Palaestinenses indigenae intelligendi sint. Lectores enim, ad quos scribit auctor noster, ut homines, multum ritibus et ceremoniis Judaicis in templo Hierosolymitano peragi solitis tribuentes, ut ζηλῶται τοῦ νόμου Act. XXI, 20. describuntur. Ita vero Christiani ex Judaeis Hierosolymitani, ut ex pluribus locis Actorum patet, senserunt, in eoque ab aliis ex Judaeis Christianis et omnino aliis Christianis ita diversi fuerunt, ut potius a communi ecclesia seriori tempore desciscerent, et peculiarem sectam Judaicis ritibus adhuc deditam sub nomine Nazaraeorum et Ebionitarum constituerent, quam ritibus et ceremoniis patriis valedicerent.

3. *Deinde, in tota epistola numquam Christianorum ex gentilibus et rixarum inter eos et Christianos ex Judaeis in aliis ecclesiis ubique ortarum mentio facta est*, quod quidem innuit, epistolam ad Christianam ecclesiam non ex Judaeis et gentilibus mixtam, sed ex Judaeis solum ortam, fuisse scriptam. Atque ejusmodi ecclesia Hierosolymis tantum et in Palaestina fuit. Vox *etiam* πύλη, XIII, 11, 12. pro πόλις posita secundum LXX. Jerem. XLIV, 6. lectores Hierosolymae habitantes innuere videtur. *Nec non* domicilium beatorum comparatum cum Hierosolyma et monte Sionis XII, 22. tum demum suo loco est et

lectoribus epistolae convenit, cum Hierosolymae vel in vicinio urbis habitabant.

Quae ex argumento epistolae *objici solent*, facile dilui possunt.

a. Secundum XII, 4, in loco, ubi lectores epistolae habitabant, *nondum aliquis ob Religionis Christianae confessionem supplicio affectus fuisse videtur.* Hoc non in Hierosolymam quadrare dicitur, ubi jam Stephanus et Jacobus ob religionis Christianae confessionem capite mulctati essent. Sed ista verba non ad primordia coetus Christianorum Hierosolymitani referenda sunt, sed ad serius tempus, quo quidem Christiani Palaestinenses a Judaeis vario modo vexabantur neque tamen ad mortem ducebantur. Et si crudelius quid erga coetum Christianorum hoc tempore exercebatur, hoc non coetum ipsum, sed ἡγουμένους ejus tetigit.

b. Porro objicitur, *Christianos Hierosolymitanos pauperes fuisse* (5), et aliorum beneficiis sustentatos esse, lectores vero nostrae epistolae ut homines idonea suppellectili instructos et aliis e sua penu impertientes describi (6). Sed respondetur, non ad Hierosolymitanos tantum Christianos, sed ad Palaestinenses in universum, inter quos multi nequaquam inopes fuerint, missam esse epistolam.

c. Neque obstat, quod Timotheus XIII, 23, *tamquam lectoribus cognitus et carus commemoretur.* Non fuit quidem natione Judaeus et Palaestinensis, Act.

---

(5) Cfr. Rom. XV, 25 sqq.; 1 Cor. XVI, 1—3; Gal. II, 10.
(6) Cfr. Hebr. VI, 10; X, 33 sqq.; XIII, 6.

XVI, 1 sqq., neque disertis verbis in N. T. commemoratur, eum Hierosolymae per aliquod tempus commoratum esse. Sed ex Act. XX, 4 sqq. verisimile fit, Timotheum Pauli Hierosolymam proficiscentis comitem fuisse. Fortasse etiam πρεσβυτέριον, a quo Timotheus μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν muneri apostolico initiabatur, 1 Tim. IV, 14, fuit presbyterium Hierosolymitanum, quod κατ' ἐξοχὴν vocatur πρεσβυτέριον. Cfr. Köhler *Versuch etc.* p. 144. Quoniam circumcisionis ritui se subjecerat, Act. XVI, 3, Christianis Palaestinensibus rituum Mosaicorum tenacibus percarus esse debuit.

d. Objicitur etiam, si haec epistola ad Christianos Palaestinenses scripta esset, ejus *vestigia inter Nazaraeos et Ebionitas extare debere*, quae vero nulla sint.

Respondetur, epistolam non in manus Hebraeorum venisse, nec, si venerit et ab iis lecta fuerit, approbatam esse.

e. Porro dicunt, *Jesum secundum Hebr. II, 3. in regione, ubi lectores epistolae habitabant, non ipsum docuisse*, quod in Palaestinam et Hierosolymam quadret.

Respondetur, in loco Hebr. II, 3. hoc tantummodo dici, quod novam doctrinam primo Jesus ipse, deinde ejus discipuli usque ad tempus, quo auctor scripsit, docuerint et confirmaverint, non exclusis iis, qui dominum ipsum docentem audiverant.

f. Denique contendunt, *epistolam ad Hebraeos Aramaeica dialecto utentes, non Graece, sed Aramaeice scribendam fuisse.* Respondetur, Graecam linguam Hierosolymae in eo usu fuisse, qui

Aramaeicas literas non flagitaret. Cfr. Act. XXII, 2, Hug *Einleitung*, T. II, 31 sqq.

Hebraei ergo, ad quos missa est epistola, sunt Christiani ex Judaeis, qui Hierosolymis et in Judaea habitabant.

Ita fere omnes antiquiores commentatores nostrae epistolae senserunt, quos recenset Bertholdt lib. laud. p. 2881 sqq. ita et recentiores et recentissimi, Michaëlis *Erklärung d. Br. Einleit.* §. 7—10, Hug *Einleitung*, T. II, p. 452 sqq., Bleek *Einleitung etc.* §. 12, Köhler *über die Abfassungszeit etc.* p. 194 sqq.

B. Jam definitis ita *lectoribus*, ad quos epistola scripta est, facilius *tempus*, *quo scripta est*, constitui potest.

Etenim si ad Christianos Palaestinenses et Hierosolymitanos scripta est, nullo modo admitti potest, quod Orelli (*Select. Patr. Eccles. capita* etc. part. III, Turic. 1822) voluit, templum et quae ad cultum templi pertinent, tum cum auctor scriberet, jam deleta esse, praeterita tamquam praesentia describi, et contra desiderium illorum instaurandorum, ergo post excidium urbis scriptam esse epistolam. Nam ipsum excidium urbis et templi, historia teste, potissimum effecit, ut multi Christiani Palaestinenses non amplius tanta tenacitate ritibus patriis adhaererent. Periculum igitur desciscendi a religione Christiana prae nimio patriorum rituum amore, deleto templo, jam ita evanuerat, ut auctor epistolae lectoribus contra illud corroborandis facile supersedere posset.

1. Scripta est *epistola potius ante Hierosolymae excidium*. Nullum dirutae urbis vestigium in ea re-

peritur; e contrario totum argumentum et consilium epistolae docet et ponit, templum et templi cultum adhuc superesse et florere, eique a lectoribus nimium tribui.

2. Neque hoc tantummodo. Ex argumento epistolae patet tum, cum scriberetur, *ceremonias Mosaicas in templo, sine ulla interpellatione et turbatione, in statu reipublicae Judaicae adhuc tranquillo, peractas esse. Ergo ante annum* 66. *p. Chr. n. scripta est*, quoniam in hoc anno bellum Judaicum et calamitates belli religionis exercitium externum interrumpere solitae initium ceperant. Josephus *Antiquit.* XX. 9. p. 702, E. haec tradit: Καὶ δὴ τὴν ἀρχὴν ἔλαβεν πόλεμος δευτέρῳ μὲν ἔτει τῆς ἐπιτροπῆς Φλώρου, δωδεκάτῳ δὲ τῆς Νέρωνος ἀρχῆς. De bello Jud. II, 25, p. 799, B: Προσελάμβανε τὴν ἀρχὴν ὁ πόλεμος δωδεκάτῳ μὲν ἔτει τῆς Νέρωνος ἡγεμονίας, ἑπτὰ καὶ δεκάτῳ δὲ τῆς Ἀγρίππου βασιλείας, ἀρτεμισίου μηνός. Duodecimus imperii Neronis annus vero intra Octobrem a. p. Chr. n. 65 et Octobrem 66 consummatur. Nero enim imperium iniit anno p. Chr. n. 54, die 13 mensis Octobris; Cfr. Beck *Allgemeine Welt- und Völkergeschichte*, T. II, p. 357. Mensis Majus igitur, quo bellum Judaicum secundum auctoritatem Josephi exortum est, fuit mensis Majus anni 66 (7). Cfr. Beck l. l. p. 566, ubi etiam dies undecimus Maji 66 nominatur; Güthrie et Gray *Allgemeine Weltgeschichte*, T. I. p. 1188. Atque jam initio hujus belli tantae turbae in Palaestina et Hierosolymae

(7) Bertholdt ergo errat, initium belli Judaici ad annum 67 referens l. l. T. VI, pag. 2970.

erant, ut Josephus de bello Jud. narrat, ut ritus templi Hierosolymitani vix ac ne vix quidem legitime peragi possent, quod vero epistola ad Hebraeos ponit.

3. Scripta porro est epistola nostra *post annum* 63 p. Chr. n., quoniam persecutio Christianorum Palaestinensium post mortem Festi, praeeunte pontifice Anano Sadducaeo, ad quam Hebr. XII, 3, 4 sqq. XIII, 4, respicitur, anno exeunte 63, facta est (8).

Festo successit Albinus exeunte anno 63. Sed priusquam novus imperator in Palaestinam venit, teste Josepho Antiquit. XX, 8, p. 698, B. Ananus Pontifex summus convocavit synedrium καὶ προαγαγὼν εἰς αὐτὸ τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ, Ἰάκωβος ὄνομα αὐτῷ, καί τινας ἑτέρους, ὡς παρανομησάντων, κατηγορίαν ποιησάμενος παρέδωκε λευσθησομένους, quod factum vero omnibus in civitate bonis displicuit. Plerique historiographi collatis Josephi et Actorum testimoniis statuunt, anno exeunte 63 Albinum Festo successisse. Cfr. Beckl. l. T. II, p. 386; Guthrie et Gray *Allgemeine Weltgeschichte*, T. I, p. 1186; Schrader *der Apostel Paulus*, T. I, p. 30. Jam si ponamus, auctorem nostrum in Epistola ad Hebraeos ad vexationes Christianorum Palaestinensium respexisse, epistola non ante annum ineuntem 64 scribi potuit.

4. Cum ergo epistola *ante* annum 69 et *post* an-

(8) In X, 32—34. respicitur ad persecutionem, quam coetus Christianorum Palaestinensis jam ante multos annos expertus erat post Stephanum interemtum, Act. VIII, 1; deinde jussu Herodis Act. XII, 1. In XII, 3. 4, nec non XIII, 7 respicitur ad persecutionem recens factam, quae teste Josepho accidit in pontificatu Ahani anno 63,

num 63 scripta sit, sequitur, eam vel anno 64 vel 65 scriptam esse. Inter hos duos annos eligendum est. Equidem praefero annum 64. Nam si consilium scribendi auctori fuit, ut Christianos Palaestinenses ob vexationes, quas experti erant sub Anano pontifice, consolaretur et ad constantiam in religione Christiana confitenda, propter quam adversa quaevis patiebantur, adhortaretur; verisimile est, eum paullo post istas vexationes ad Hebraeos literas consolatorias et adhortatorias scripsisse. Si serius hoc fecisset anno 65, operam et oleum perdidisset. Istae enim vexationes breve tantum tempus durarunt et Judaeis ansam accusandi apud Albinum Anani suppeditarunt, cfr. Joseph. Ant. XX, 8. C, cujus minacibus literis territus Agrippas Anano Pontificatum tres tantum menses durantem abrogavit.

5. Natales epistolae nostrae ergo ad annum 64 ineuntem refero, in eoque habeo consentientem Usserium, qui anno decimo Neronis, id est, anno 64 originem epistolae tribuit, et Hugium, qui eam secundo captivitatis Pauli Romanae anno tribuit. Cfr. Pritius edit. Hofm. p. 263; Hug *Einleitung* T. II, p. 493. Si ponamus nuntium de vexationibus Christianorum Palaestinensium celeriter Romam allatum esse, et extemplo auctorem nostrum ad Hebraeos scripsisse, non multum differt mea sententia de origine nostrae epistolae, ab iis, qui eam ad annum 63 (scilicet exeuntem) referunt, e. g. celeberrimus Pearsonius in *Annalibus Paulinis*.

c. In hoc *tempus vero incidit etiam tempus, quo consuetudo quaedam Pauli et Senecae extitisse* traditur et existere potuit, nempe tempus, quo

Paulus Romae captivus fuit. Varie a variis anni hujus captivitatis constituuntur. Nonnulli hos annos ad 58 et 59 p. Chr. n. vel ad proxime sequentes, vel ad alios referunt. Longum esset, enumerare diversas doctorum virorum hac de re sententias. Periculum faciam, ad amussim testimoniorum historicorum fide dignorum, hos annos accuratius constituendi.

Nero vita decessit die nono mensis Junii anni p. Chr. n. 68, teste Xiphilino, qui a morte Neronis ad initium Vespasiani, id est, ad cal. Julii anni 69, dicit interesse annum solidum, dies 22. Scaliger in libro de Emendatione temporum p. 469 ad hoc Xiphilini testimonium addit: »Hanc sententiam amplectimur, neque dubitamus veram esse; praesertim cum Cassiodorus scribat, Neronem imperasse annos 13, menses 7, dies 28, quod tempus desinit in nono die Junii."

Temporis spatium, quo Nero regnavit, ab aliis scriptoribus antiquis plerumque numero rotundo traditur fuisse annos tredecim et octo menses. Cfr. Schrader l. l. p. 35. Jam Paulus Romam venit, cum Burrhus adhuc praefectus praetorio esset, ut supra ostendi.

Post mortem Burrhi, qui paulo post adventum Pauli vita decessit, (cfr. Tacitus Annal. XIV, 51, Beck *Welt und Völkergeschichte*, Tom. II, p. 358.) Seneca variis criminationibus ad Caesarem delatus, tempus sermoni orat, et accepto ita alloquitur Neronem: « Quartus decimus annus est, ex quo spei tuae admotus sum; octavus, ut imperium obtines." Tacitus Ann. XIV, 53.

Ergo annus, quo Paulus Romam venit, fuit octavus annus currens Neronis. Jam si quinque reliquos annos et octo menses totius temporis imperii Neroniani subtrahimus a tempore, quo mortuus est Nero, nempe a die nono mensis Junii 68; habemus diem nonum Octobris anni 62. Paulus igitur anno 62. p. Chr. n., anno currente octavo Neroniani imperii, qui est inde a die 13 mensis Octobris anni 61 usque ad 13 Octobr. 62 (9), et quidem verno tempore, ut ex Actis patet, Romam captivus venit, et biennium captivitatis ejus Romanae, cujus in Actis mentio fit, duravit inde a vere anni 62 usque ad ver anni 64. Caeterum, num aestate anni 64, qua Nero Romam incendisse traditur, Paulus adhuc Romae fuerit, et exeunte anno 64 vel ineunte anno 65 in persecutione Christianorum a Nerone, qui incendii invidiam in Christianos devolvebat, imperata diem supremum obierit, an liberatus e vinculis, sicut a multis traditur, ecclesias a se conditas adierit, hoc parum ad meam rem confert. Quod vero hac ratione captivitatis Paulinae, quae fuit Romae, tempus ad annos 62, 63, 64 refero, in eo habeo assentientes et antecessores multos, e. g. Eichhorn, *Einleitung*, II, 31. Hic anno 60 Paulum Caesareae in vincula conjectum esse computat. Hinc sequitur, quoniam Paulus per duos annos Caesareae captivus mansit, et non breve tempus in itinere marino consumsit, apo-

(9) Nero enim imperium capessivit die 13 Octobris 54. Sueton. *Claud.* 45; Tacit. XII, cap. ultim. Annus octavus Neronis ergo, in quo Seneca post Burrhi mortem coram Caesare verba fecit missionem petens, est computandus a die 13 Octobr. 61. usque ad 13 Oct. 62.

stolum Romae captivum fuisse in annis a me supra dictis.

Schrader, recentissimus Paulinae chronologiae ordinator, in libro: *der Apostel Paulus*, T. I. p. 264. ita annos ordinat:

Post semestre fere iter Paulus vere anni 62 Romam venit, et captivus detinetur, et post primam defensionem epistolam secundam ad Timotheum mittit;

a. 63. mittit epistolas ad Ephesios, Colossenses, Philemona et Philippenses;

b. 64. post incendium Romae, ultimam epistolam ad Galatas scribit, et cum multis aliis a Nerone supplicio afficitur.

Scripta igitur est epistola nostra eodem tempore, quo consuetudo aliqua Pauli et Senecae extitisse traditur, et existere potuit, nempe tempore, quo apostolus Romae captivus commorabatur, et Senecam cognoscendi atque cum eo colloquendi copiam habere poterat.

D. Sed *jam altera quaestio enucleanda est*, num *epistola etiam eodem loco scripta* sit, quo ista consuetudo inter Senecam et Paulum extitisse traditur, num *Romae scripta* sit. Notissimum est, plerosque recentiorum commentatorum epistolae ad Hebraeos hoc in dubium vocare (10). Multa *non levia argumenta* afferri possunt, quae testantur, Romae scriptam esse nostram epistolam.

(10) Storr et Nösselt *Corinthi*, Semmler *Ephesi*, Schulz in *Aegypto*, Böhme in *Asia minori*, Bleek *Corinthi* vel *Ephesi*, Codex 66. Athenis scriptam esse putant.

1. Nolo urgere *subscriptionem* ἐγράφη ἀπὸ τῆς Ἰταλίας διὰ Τιμοθέου, pro qua codex A habet, ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης; constat enim subscriptiones epistolarum N. T. a seriori manu additas esse. Subscriptio ista etiam non tam primariam Italiae urbem, quam Italiam in universum nominat locum, ubi scripta sit epistola; quamquam cogitari possit, apostolum, si ita subscripsit, cum quadam circumspectione tum temporis necessaria urbem nominare noluisse, Italiam nominasse, urbem cogitasse.

2. Neque provocare *ausim ad lectionem* X, 34: Καὶ γὰρ δεσμοῖς μου συνεπαθήσατε, a plerisque recentioribus N. T. ex gravibus argumentis improbatam et e textu rejectam. Multa quidem pro defendenda lectione δεσμοῖς μου proferri possunt. *Difficilior lectio* est, neque bene cum sequentibus cohaerere videtur, ergo secundum regulas critices faciliori δεσμίοις praeferenda esset. Cogitari potest, quoniam in toto loco de calamitatibus sermo est, quas Palaestinenses Christiani vel ipsi perpessi erant, vel quarum in communionem venerant, nonnullos in δεσμοῖς μου haesisse et in δεσμίοις transmutandum esse putasse. Συμπαθεῖν τοῖς δεσμοῖς μου sensum etiam bonum praebet, si cum Beza in quatuor prioribus editionibus vertimus: « *de vinculis meis mecum doluistis* » vel in quinta: « *vinculis meis mecum affecti fuistis* » vel cum Erasmo in posterioribus editionibus: « *afflictionum, quae ex vinculis meis contigerunt; participes fuistis.* » Atque id accommodate ad linguae usum, probante hoc Stephano in Thesauro (11). Nec de-

(11) Vulgaris lectio exhibet sensum contexto sermoni non contrarium,

sunt testimonia pro hac lectione ex antiquitate; Origenes habet δεσμοῖς, sed sine pronomine μοῦ. Nec non recentiores interpretes primae notae eam defenderunt, e. g. Nösseltus *de tempore, quo scripta fuerit epistola Pauli ad Hebraeos, deque Hebraeis, quibus scripserit*, in *Opusculis ad interpret. S. S.* Fasc. I. No. 10, quamquam haec verba non ad captivitatem Pauli Romanam, sed Philippensem (Act. XVI, 24.) refert.

Grave quidem momentum haec lectio δεσμοῖς μου pro asserenda Roma tamquam loco scriptionis nostrae epistolae esset; sed mittamus hoc argumentum a tot et tantis viris gravissimis ex causis impugnatum, tamquam dubium.

3. Gravius argumentum est, *quod auctor* XIII, 19, dicit: Περισσοτέρως δὲ παρακαλῶ (προσεύχεσθαι περὶ ἡμῶν), ἵνα τάχιον ἀποκατασταθῶ ὑμῖν. Verbum ἀποκαθίστημι notat quidem, in universum restituere ex praesenti deteriori statu in pristinum melioremque statum, et tam de rebus quam personis dicitur. Igitur per se non restitutionem et liberationem e vinculis denotat, sed tantum involvit. Dici potest multis etiam aliis rebus, quam captivitate auctorem de-

---

si verba: καὶ γὰρ δεσμοῖς μου συνεπαθήσατε ut parenthesis considerantur et uncinis includuntur. Wetstenius ad hunc locum: „συμπαθεῖν τινι vel ἀσθενείαις τινος recte quidem dicitur, sed quomodo συμπαθεῖν τοῖς δεσμοῖς τινος dici possit, non video." Objicit etiam, numquam in hac epistola Paulum de se in singulari loqui, exceptis vs. 19, 22, 32. c. XIII; non solere Paulum, quod mendici faciunt, divitias et magnam mercedem in coelo polliceri iis, a quibus adjutus sit. Sed haec omnia levis momenti sunt, et facile refutari possent, si Codices, Versiones et Patres magna ex parte pro vulgari lectione essent.

neri potuisse, quo minus redderetur Palaestinensibus Christianis.

Sed comparativus περισσοτέρως, qui ut VI, 17. est positivus intensivus et verti potest *vehementius*, *perquam vehementer* (Cfr. Böhme, *ad h. l.*), praesentissimum periculum, in quo tum temporis auctor versabatur, nec non statum miserum diutius durantem, e quo liberationem optabat, pro qua, ut apud Deum precibus ardentissimis intercederent, enixe Hebraeos hortabatur, luculenter indicat. Nec non phrasis ἀποκατασταθῆναί τινι de homine aliquo usurpata, liberationem ex majori quodam periculo et minaciori statu denotat (12). Haec vero in captivitatem Pauli Romanam bene quadrant. Hinc et Wahlius in *Clav. N. T.* p. 124. hanc vocem dici censet nostro loco « de doctore captivo suis reddendo."

Nec est, cur haereamus in voce ὑμῖν, quasi Paulus non tanto amore Palaestinensium Christianorum erga se gavisus esset, ut iis preces ad Deum pro liberatione sua injungere et liberatus eosque visens iis acceptus esse posset. Habuit quidem Hierosolymis adversarios, sed maxime inter Judaeos, minus inter Christianos ex Judaeis. Nec non multi, cognita ejus constantia in propaganda doctrina de Christo et in calamitatibus ob eam exantlatis, melius de eo sentire coeperunt, eique ita reconciliati sunt, ut dicere posset, ἵνα ἀποκατασταθῶ ὑμῖν.

3. Timotheus *etiam* ἀπολελυμένος *in* vs. 23. *et*,

(12) Quod nos Germanica lingua dicimus: » Den Unsrigen wieder gegeben werden."

quae de eo in hoc versu dicuntur, testantur, Romae scriptam esse nostram epistolam.

Diversi sunt interpretes in significatione vocis ἀπολελυμένος constituenda, cum verbum Graecum ἀπολύειν et *dimittere*, *mittere*, et *liberum e vinculis dimittere* significet. Prior significatio frequenter occurrit in N. T. e. g. Matth. I, 19. V, 31. XIV, 15. Act. XIII, 3. etc. quamquam non negatur, in aliis locis, e. g. Act. XVI, 35, 36. XXVI, 32. XXVIII, 18. alteram etiam significationem occurrere.

Vox ἀπολελυμένος significans *dimissus ab aliquo* non semper, ut nonnulli volunt, habet adjunctam personam, a qua quis mittitur. Qui nempe significationem vocis ἀπολελυμένος alteram defendunt, statuunt, si prior significatio locum habere posset, addendum ad ἀπολελυμένος fuisse ὑπ' ἐμοῦ. Sed in Graecis scriptoribus, et in N. T. multa loca reperiuntur, ubi ἀπολύεσθαι sine adjuncta persona, quae dimittit, notat *dimitti*. Sic Matth. XIX, 9: ὁ ἀπολελυμένην γαμήσας μοιχᾶται, verba ἀπὸ ἀνδρὸς desunt, quae Lucas in loco parallelo XVI, 18. habet. Similiter locus est Actor. XV, 30: Οἱ μὲν ἀπολυθέντες ἦλθον εἰς Ἀντιόχειαν, i. e. hi dimissi (scil. ab apostolis) venerunt Antiochiam. Cfr. Mosheim, *Einleitung zur Erklärung des 1 Brief an den Timotheus*, p. 54 sqq.

Nec obstat significationi ἀπολελυμένος *dimissus* in nostro loco sequens verbum ἔρχηται in significatione *redeundi* sumendum; saepissime enim in consuetudine dicendi vulgari *venire* et *redire* invicem commutantur (13). Denique contra hanc vocis ἀπο-

(13) Matth. XXIV, 46. vox ἔρχεσθαι habet notionem *redeundi*,

ἀπολελυμένος significationem non potest afferri, quod liberatio Timothei e vinculis, nequaquam vero missio ejus tanti momenti fuerit, ut nunciaretur Palaestinensibus Christianis. Si sibi persuasum habuit auctor epistolae nostrae et habere potuit, Timotheum curae cordique esse Palaestinensibus Christianis ab iisque amari, profecto etiam missio ejus obiter ab auctore nominari potérat, eoque magis, quod ab ejus reditu ex missione spes, eo socio visendi Hebraeos, pendebat.

Nexus etiam sermonis postulat significationem *dimissus*. Ex ultimis hujus versus verbis patet, eo tempore, quo scripsit auctor haec verba, Timotheum non apud auctorem fuisse, et reditum ejus expectatum esse; hinc sequitur, priora verba de missione Timothei intelligenda esse, et causam indicare, cur Timotheus non apud auctorem sit, et cur non certo polliceri queat auctor, se eo comite ad Hebraeos venturum esse. Si vocem ἀπολελυμένος vertimus *dimissus*; tunc omnia bene cohaerent, et hunc sensum efficiunt: « Vos certiores facio, Timotheum apud me non esse. Misi eum cum mandatis quibusdam. Hinc non certo promittere possum, me eo socio ad vos venturum esse. Si brevi ab itinere redieris, eo socio vos visam." Posita vero significatione liberationis e vinculis, quam voci ἀπολελυμένος hoc loco tribuere volunt, totus versus sine nexu est, et auctor promittit, se Timotheum adducere velle, quando brevi vene-

ubi haec sunt: *Μακάριος ὁ δοῦλος ἐκεῖνος, ὃν ἐλθὼν ὁ κύριος αὐτοῦ κ. τ. λ.*

rit, quamquam non antea dixerat, eum absentem esse.

Denique historia etiam flagitat significationem *dimissus*, et respuit alteram *liberatus e vinculis*. Nam in Actis et in Epistolis (14) et Patribus apostolicis ne vestigium quidem incarcerationis Timothei reperitur. Fuit quidem apud Paulum Romae captivum, sicut ex Epistolis Paulinis Romae scriptis ad Philippenses, Colossenses, Philemonem videre licet; sed nuspiam vinculorum ejus fit mentio. Aristarchus Col. IV, 10, Epaphras Philem. 23, ob evangelium vincti commemorantur et laudantur, numquam vero Timotheus, quamquam maximopere a Paulo laudatur et *ἰσόψυχος* alterum ego dicitur, Phil. II, 19—24.

Jam si dimissus est Timotheus ab auctore nostrae epistolae captivo ad negotia quaedam curanda, quemnam alium nostrae epistolae auctorem ex historia illius temporis cogitare possumus quam Paulum, cujus assiduus comes fuit Timotheus, et qui, cum vinculis non detineretur, ad negotia quaedam evangelium spectantia rite curanda mitti potuit? Et si hoc est, quemnam alium locum, ubi reditum Timothei auctor noster praestolatus est, quam Romam nominare possumus, ergo etiam quemnam alium locum, ubi scripta

(14) Immo contrarium in Epistolis innuitur. Ad Phil. vs. 1. Paulus se vocat *δέσμιον*, et Timotheum, qui tum temporis apud Paulum erat, *ἀδελφόν*. Nonne apostolus, Philemonem suo et Timothei nomine salutans, Timotheum *συναιχμάλωτον* vocasset, sicut Epaphram vs. 23. vocat, si Timotheus captivus fuisset? Et in Epistola ad Philipp. II, 25. Paulus de Timotheo loquitur, tamquam homine, qui sui juris est, et qui pro lubitu ire et proficisci potest.

sit epistola nostra?

Lucem nostro loco etiam accendit Phil. II, 19., ubi Paulus Romae incarceratus Philippensibus scribit: « Spero, me brevi Timotheum ad vos missurum esse, ut ego de rebus vestris certior redditus bono animo esse possim cet." Historiae apostolicae non repugnat, hoc revera factum esse (cfr. Bertholdt T. VI, p. 3497); fortasse ad hanc missionem Timothei ad Philippenses respicit auctor noster et inde ejus reditum expectat.

Sensus igitur versus 23 hic est: « Scitote, Timotheum a me ad exteras ecclesias quasdam missum esse et ideo non apud me esse; si brevi a missione redierit, eo comite vos visam." Sperabat autem liberationem ex vinculis, sicut in caeteris epistolis Romae scriptis innuit, patronos ἐν εἰκὶ καίσαρος, inter quos fuit Seneca, nactus.

5. Nolo multus esse in verbis vs. 24: Ἀσπάζονται ὑμᾶς οἱ ἀπὸ τῆς Ἰταλίας. Negari nequit, sub τοῖς ἀπὸ τῆς Ἰταλίας intelligi posse Christianos ex Italia oriundos, in exteris regionibus vel mercaturae vel evangelii praedicandi vel securitatis causa degentes. Sed nec linguae usus impedit, quo minus Christianos Italos, captivum apostolum visentes, vel etiam Christianos Romanos ipsos sub ista phrasi intelligamus. Cfr. Act. XVIII, 2. Auctor eos nominat τοὺς ἀπὸ τῆς Ἰταλίας, non τοὺς ἀπὸ Ῥώμης (15), quoniam eo tempore, quo scribebat, jam Romae periculosum esse coe-

(15) De hac significatione praepositionis ἀπό; cfr. Wahl T. I. p. 113.

perat Christianum esse et Pauli doctrinam amplecti. Est enim, ut supra pluribus docui, Epistola ad Hebraeos ultimo tempore captivitatis Pauli Romanae scripta, ira Neronis contra Christianos jam gliscente et mox vehementius exarsura. Auctor epistolae ergo metuens, ne epistola sua in manus inimicorum Christiani nominis veniret, et Christianis Romanis, si eos nominasset, noceret, latiorem ambitum habente phrasi *οἱ ἀπὸ τῆς Ἰταλίας* usus est. Hinc etiam non, ut in aliis epistolis, nomina salutantium addit. Erat enim eis periculosum (16).

6. Romae natales nostrae epistolae fuisse, non parum *comprobat epistola Clementis Romani prior* ad Corinthios, pro genuina ab omnibus rerum ecclesiasticarum scriptoribus habita, quam nomine totius Ecclesiae Romanae ad Corinthios scriptam esse, auctor est Irenaeus lib. III. adv. haeres. c. 3. p. 202. ed. Oxon. Inter legatos, per quos haec epistola Corinthiis missa est, non procul a fine epistolae nominatur Fortunatus, sine dubio idem, cujus Paulus in priore ad Corinthios epistola XVI, 17., mentionem fecit. Dodwellus in additionibus ad Opera posthuma Pearsonii p. 221 opinatur, hunc Fortunatum Corintho Romam missum esse, ut apostolo Paulo novam dissensionem apud Corinthios ortam indicaret, Paulo autem interim per martyrium sublato, ecclesiam Romanam Clementis opera usum ad Corinthios rescripsisse, et Fortunato duo alios legatos, Claudium Ephe-

(16) Si auctor alio loco quam Romae Epistolam scripsisset, non video, cur nomina salutantium reticuerit.

bum et Valerium Bitonem, quos Clemens in fine suae epistolae nominat, adjunxisse. Hanc Dodwelli sententiam, cui multi suffragati sunt, si sequamur, dicendum est, epistolam Clementis priorem ad Corinthios sub imperio Neronis, certe ante Hierosolymam eversam scriptam esse (17).

In hac epistola multa occurrunt, quae Clemens ex nostra epistola hausit, quaeque aperte testantur, exemplar epistolae ad Hebraeos ei, cum scriberet epistolam ad Corinthios, ad manus et ante oculos fuisse. E. g. cap. 17 haec leguntur: *Μιμηταὶ γενώμεθα κἀκείνων, οἵτινες ἐν δέρμασιν αἰγείοις καὶ μηλωταῖς περιεπάτησαν, κηρύσσοντες τὴν ἔλευσιν τοῦ Χριστοῦ*; cfr. Hebr. XI, 37. Cap. 9: *Λάβωμεν Ἐνὼχ, ὃς ἐν ὑπακοῇ δίκαιος εὑρεθεὶς μετετέθη καὶ οὐχ εὑρέθη αὐτοῦ θάνατος. Νῶε πιστὸς εὑρεθεὶς* —. C. 10: *Ἀβραὰμ πιστὸς εὑρέθη, ἐν τῷ αὐτὸν ὑπήκοον γενέσθαι τοῖς ῥήμασι τοῦ θεοῦ.* C. 12: *Διὰ πίστιν ἐσώθη Ῥαὰβ ἡ πόρνη*; cfr. Hebr. XI. C. 17: *Μωϋσῆς πιστὸς ἐν ὅλῳ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ ἐκλήθη*; cfr. Hebr. III, 2. C. 36 vocatur Christus *ἀρχιερεὺς τῶν προσφορῶν ἡμῶν, προστάτης καὶ βοηθὸς τῆς ἀσθενείας ἡμῶν*; cfr. Hebr. IV, 15. Ibidem: *Ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς μεγαλωσύνης αὐτοῦ, τοσούτῳ μείζων ἐστὶν ἀγγέλων, ὅσῳ δια-*

(17) Alii rerum ecclesiasticarum scriptores, maxime recentiores, ad Domitiani tempora, circa annum 90. p. Chr. n. Epistolam Clementis referunt, e. g. Schroeckh. K. G. T. II, p. 268. ad annum 95, nullis vero argumentis suae opinionis additis; Gieseler K. G. T. I. p. 101. annum non definit. Num Clemens Romanus idem sit, cujus Paulus Philipp. III, 3. honorificam mentionem facit, a nonnullis dubitatur. Euseb. Hist. Eccl. III, 15. eundem esse censet, cujus judicium plerique hodie sequuntur. Cfr. Ittig *Dissert. de Patribus apostol.* p. 706; Bertholdt *Einleit.* T. VI. p. 2902.

φοράτερον ὄνομα κεκληρονόμηκεν. Γέγραπται γὰρ οὕτως· ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα καὶ τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ πυρὸς φλόγας· ἐπὶ δὲ τῷ υἱῷ αὐτοῦ οὕτως εἶπεν ὁ δεσπότης· υἱός μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκα σε; cfr. Hebr. I, 3 sqq. Nec non solum in singulis locis epistola Clementis cum nostra concordat, sed tota series tractationis in ista epistola nostram sectatur; in eo tantummodo diversa est utraque epistola, quod epistola Clementis est fusior, verbosior et multis ambagibus animum lectoris fatigat. Ob hanc epistolae Clementis cum nostra convenientiam in antiqua ecclesia, teste Origene (18), nonnulli Clementem auctorem nostrae epistolae, vel saltem translatorem ex Aramaeica lingua in Graecam, fecerunt.

Sed profecto is, qui epistolam ad Hebraeos scripsit, prorsus alius est ac Clemens et hunc ingenio et dicendi dexteritate longe superat. Clementis non esse epistolam vel inde patet, quod Clementi non conveniat, quod auctor epistolae nostrae Hebraeis se restitutum iri sperat et cum Timotheo familiariter vivere innuit.

Jam si secundum auctoritatem Dodwelli et aliorum sumamus, Clementem paulo post obitum Pauli Epistolam ad Corinthios scripsisse, non videmus, unde illi Epistolam ad Hebraeos, ex qua tot sententias hausit,

(18) Origenes apud Euseb. Hist. Eccles. VI, 25: Ἡ δὲ εἰς ἡμᾶς φθάσασα ἱστορία ὑπό τινων μὲν λεγόντων, ὅτι Κλήμης ὁ γενόμενος ἐπίσκοπος Ῥωμαίων ἔγραψε τὴν ἐπιστολήν. Hieronymus Catal. Script. Eccles. sub voce Paulus: » Epistola, quae fertur ad Hebraeos, non Pauli creditur propter styli et sermonis distantiam, sed vel Barnabae, vel Lucae, vel Clementis Romani, quem ajunt sententias apostoli propria ordinasse et ornasse sermone.«

legendi vel exemplar ejus sibi comparandi copia facta sit, nisi statuamus, Romae epistolam nostram scriptam, et antequam ad Hebraeos mitteretur, a Clemente vel lectam vel transcriptam esse.

Cum hoc loco tantummodo probare studeam, epistolam nostram Romae scriptam esse, non est respondendum objectioni eorum, qui dicunt: si Pauli esset epistola, Clemens in locis, quos ex illa affert, Paulum nominasset. Scilicet et alia dicta scriptorum N. T. refert, neque eos nominat.

7.) Romae scriptam esse epistolam, plures etiam Patres crediderunt, e. g. Chrysostomus in Prooemio ad Homilias in Epistolam ad Rom. Tom. IV. Homil. in N. T. p. 3. edid. Francofurt.: Καὶ Ἑβραίοις ἐκεῖθεν ὁμοίως (scilicet ἀπὸ Ῥώμης, sicut Philippensibus) scripsit; Theodoretus Praefat. in Epist. Pauli.

C.) Jam si, positis iis, quae exposui, statuendum est, eodem tempore et loco, quo familiaritas quaedam Senecae et Pauli extitisse traditur et extare potuit, nempe Romae et tempore captivitatis Pauli Romanae, scriptam esse nostram epistolam; auctor ejus detentus Romae in vinculis, et quidem in aula Caesaris, certe ibi causam suam dicens, occasionem multam habuit, Senecam, qui tum temporis adhuc inter vivos fuit et aulam Caesaris officii causa multum frequentavit, videndi, cognoscendi, cum eo colloquendi ejusque scripta legendi. Nam pleraque scripta Senecae tum temporis, anno 63 vel 64 p. Chr. n. jam exarata erant vel exarabantur. Verisimile est, opera Senecae, quae extant, omnia ante incendium Romae Neronianum, quod in aestate anni 64 accidit, jam exarata esse. Nam nuspiam hujus incendii in

scriptis Senecae mentio fit, quae facta esset, si jam accidisset. Valde idoneam habebat de hoc incendio loquendi opportunitatem in Epist. 91, in qua incendium coloniae Lugdunensis commemorat, et fluxa et incerta omnium rerum humanarum ante oculos ponit. Immo hac occasione de incendiis Romae sub Augusto loquitur, et Timagenem quemdam, Augusti obtrectatorem, nominat, qui ista incendia ideo aegre tulit, quod sciret, meliora resurrectura esse, quam arsissent. Sed non abs re erit, chronologiam singulorum scriptorum Senecae computare.

Libri *de Ira* statim post mortem Caligulae scripti sunt, quod Lipsius ex verbis Senecae de Ira lib. III, 18. recte suspicatur.

Tres *Consolationes* ad Helviam matrem, Polybium et Marciam sub Claudio, et duae priores intra exsilium Senecae, i. e. ab anno p. Chr. n. 41—54.

Liber *de Tranquillitate* et *de Constantia Sapientis* ex sententia Lipsii statim post reditum ab exilio, quam ad aulam Caesaris Neroni instituendo admotus esset, scriptus est.

De tempore, quo fragmentum *de Otio Sapientis* scriptum sit, certi quid definiri nequit.

Libri *de Clementia* scripti sunt tertio regni Neroniani anno, I, 9.

Liber *de Brevitate Vitae* ad Paulinum, Senecae uxoris Paulinae fratrem vel affinem, secundum Lipsium, post obitum Caligulae scriptus est.

Libellus *de Vita beata* ad Gallionem fratrem a Seneca sene scriptus sit necesse est, cum contra calumniatores, qui ei opes objectabant, se defendat.

Libri *de Beneficiis* sub Nerone post Claudii mor-

tem scripti sunt; fine enim libri primi admodum contemtim de Claudio loquitur, non facturus illo vivo.

Apocolocyntosis illa famosa, philosopho valde indigna, vel *Ludus de morte Claudii*, post mortem Claudii, ut titulus docet, invita Minerva lucem adspexit.

Restant liber *de Providentia*, *Epistolae* et *Naturales Quaestiones*, omnes a Seneca sene scripti libri, et Lucilio, viro humili loco nato sed studio literarum et morum integritate conspicuo et procuratoris Siciliae dignitatem nacto, dedicati. Epistolarum cum eo commercium in id tempus incidit, quo Nero malignitatem animi ostendere inciperet, et gratia, qua Seneca apud eum floruerat, sensim frigesceret. Lipsius putat, eas intra biennium, consulibus Memmio Regulo et Virginio Rufo, itemque Lecanio et Licinio, a. u. c. 816 et 817, id est, annis p. Chr. n. 63 et 64, haud longe ante mortem Senecae, quae in annum 65. incidit, compositas esse. Aliter statuit Ruhkopf (19). In Epistola 91. Seneca de incendio, quo Lugdunensis colonia extincta erat, loquitur et addit: « huic coloniae ab origine sua centesimus annus est. A Planco deducta in hanc frequentiam loci opportunitate convaluit." Jam cum

(19) In Praefatione ad Epistolas pag. VIII. Ruhkopfius argumenti loco Dion. Cass. XLVI, 50. citat. Sed Lipsii sententia de tempore scriptarum Senecae Epistolarum iis, quae Ruhkopf, non prorsus labefactatur. Nam si vel ponamus Epistolam 91, in qua incendii Lugdunensis mentio fit, sex annos ante morte Senecae scriptam esse; hinc non sequitur, omnes vel plerasque ad tempus scriptae epistolae 91. referendas esse. Deinde etiam incertum est, num Seneca in verbis citatis accurate an numero rotundo loquatur.

constet, hoc factum esse a. u. c. 711; sequitur, si Seneca in istis verbis accurate locutus et *non numero rotundo* usus est, epistolam Senecae hanc sex annos ante ejus mortem scriptam esse. Sed pleraeque ad serius tempus referendae sunt.

Naturales Quaestiones biennio ante mortem auctoris scriptae sunt. Loquitur enim initio libri sexti de terrae motu, qui Campaniam concussit, Regulo et Virginio consulibus, qui fuerunt consules biennio ante morte Senecae, ab u. c. 816. p. Chr. n. 63 (20).

Liber *de Providentia* nihil quidem continet, quod ad accuratiorem temporis, quo scriptus est, definitionem confert. Sed cum Epistolae ad Lucilium et Naturales Quaestiones ei dedicatae a sene scriptae sint, suspicari licet, hunc etiam libellum a Seneca sene scriptum esse. Huc etiam collineant, quae c. I. dicit: « Suo ista tempori reserventur", scilicet, quae in antecedentibus contenderat, non sine aliquo custode et rectore siderum certum discursum et inoffensam velocitatem, infusa vallibus maria, pluvias, nubes et elisorum fulminum jactus, et incendia ruptis montium verticibus effusa, et tremores labantis soli, et accessus et recessus maris, et vicissitudines anni posse fieri et constare. Ergo vult alio libro hoc fusius digerere et demonstrare. Hic liber non

(20) Si Taciti Annales XV, 22. sequamur, is terrae motus accidit a. u. c. 816. Is ait: » Et motu terrae celebre Campaniae oppidum, Pompeji, magna ex parte corruit." Funditus autem sedecim annis post mersum esse repetito terrae motu, docet Dio-Cassius LXVI, 23, i. e. anno p. Chr. n. 79. Cfr. Ruhkopf ad cap. I. libri sexti Nat. Quaest.

est liber de Providentia major deperditus. Hunc enim librum jam scriptum esse, innuit verbis: « Hoc commodius in contextu operis redderetur, cum praesse universis providentiam probaremus." Verba Senecae: « suo ista tempori reserventur" ad alium librum referenda sunt, quem vel tum scriberet vel mox scripturus esset. Hic liber nullus alius est quam Quaestiones Naturales, biennio ante mortem Senecae scriptae. Liber de Providentia ergo vel paullo ante Quaestiones vel eo ipso tempore, quo exaravit Seneca Quaestiones Naturales, scriptus est, eodem fere tempore, quo Paulus Romae captivus detinebatur.

Videtur etiam potius epistola quam tractatio esse. Nam initium est: « Quaesisti a me, Lucili, quid ita, si providentia mundus ageretur, multa bonis viris acciderent mala?" Sic multae epistolae Senecae, incipiunt, e. g. 71, 72, 88 et aliae. Liber de Providentia est epistola responsoria, et ideo a caeteris epistolis a scribis separata, quod argumentum ejus prae caeteris placuit, et sine dubio ad ultimas epistolas referenda, ergo non multum ultra annum ante mortem Senecae scripta. Mihi videtur ponenda esse post vel ante Epistolam 98 (21), ob similitudi-

(21) Notatu dignum est, in hac Epistola 98. post manifestam lacunam, ubi plura desiderantur, per saltum Senecam loqui de *sene venerabili*, quem non nominat, ita ut putare possis, de Paulo sermonem esse, et, quae apostolus de morte sua sentiret et loqueretur, e. g. Phil. II, referri. Legantur ibi haec: » Securus de eo sum; de nostro damno agitur, quibus senex egregius eripitur. Nam ipse vitae plenus est, cui nihil adjici desiderat sua causa, sed eorum, quibus utilis est. Liberaliter facit, quod vivit. Alius jam hos cruciatus finisset; hic tam turpe putat mortem fugere, quam ad mortem confu-

nem argumenti et similem tractandi rationem, et, si chronologico ordine Epistolae Senecae suum locum tenent, (quod sumere inter alia commemoratio priorum in posterioribus suadet), ultimis annis vel ultimo Senecae scripta est. Atque, si sententiae eorum non prorsus vanae accedere velimus, qui putant, Senecam nonnulla e doctrina Christianorum in usus suos vertisse et scriptis suis inseruisse; haec potissi-

---

gere —. Nec mors illum contra dolorem facit fortiorem, nec dolor contra mortem, contra utrumque sibi fidit: nec spe mortis patienter dolet, nec taedio doloris libenter moritur; hunc fert, illum expectat." Senex hic quam similis est Paulo. Mihi perquam verisimile videtur, in hoc loco de Paulo sermonem esse. Occurrunt etiam in hac Epistola multae sententiae Paulinae, e. g.: » Malus omnia in malum vertit, etiam quae specie optimi venerant." Cfr. Tit. I, 15; *Πάντα μὲν καθαρὰ τοῖς καθαροῖς κ. τ. λ.*

» Hoc dicito, quoties aliquid aliter quam cogitabas evenerit: Dii melius. Sic composito nihil accidet. Sic autem componetur, si, quid humanarum rerum varietas possit, cogitaverit, antequam senserit. Si et *liberos et conjugem atque patrimonium sic habuerit, tamquam non utique semper habiturus*, et tamquam non futurus ob hoc miserior, si habere desierit." Cfr. 1 Cor. VII, 29, 30: *"Ινα οἱ ἔχοντες γυναῖκας ὡς μὴ ἔχοντες ὦσι, χαίροντες ὡς μὴ χαίροντες, ἀγοράζοντες ὡς μὴ κατέχοντες.*

» Calamitosus est animus futuri anxius et ante miserias miser, qui sollicitus est — nullo enim tempore conquiescet et expectatione futuri praesentia, quibus frui poterat, amittet." Cfr. Matth. VI, 31. *Μηδὲν μεριμνᾶτε —. Μὴ μεριμνήσητε εἰς τὴν αὔριον κ. τ. λ.*

» Illud verum bonum non moritur; certum est et sempiternum, sapientia et virtus; hoc unum contingit immortale mortalibus. Amissuri sumus uno die omnia. Quicquid est, cui dominus inscriberis, apud te est, non tuum est." Cfr. 1 Tim. VI, 7, 17.

Interpretes Senecae nonnulli ea, quae de sene quodam venerabili in Epistola 98 dicuntur, ad Marullum quendam, cujus fit mentio in Epistola 99, retulerunt. Sed hic Marullus ita describitur, ut illi, quae in Epist. 98. de sene venerabili dicuntur, nullo modo conveniant.

mum in Epistolis et Naturalibus Quaestionibus et libro de Providentia, quae scripta tum, cum cognoscendae Religionis Christianae per Paulum occasionem haberet, exarabantur, quaerenda esse videntur.

Prae aliis liber de Providentia is mihi esse videtur, in quo Seneca scriptiones Christianorum et nominatim Epistolam ad Hebraeos ante oculos habuerit. Sententiam enim: « Quos Deus amat, eos castigat, exercet, » non Paulus a Seneca (quippe est sententia V. T. Prov. III, 11), sed Seneca a Paulo mutuari potuit. Si vero Seneca hanc sententiam ex Epistola ad Hebraeos mutuatus est, epistola illa eo, quem supra posuimus, anno 64. scripta est.

CAPUT SEXTUM.

De nullo alio doctore primaevae ecclesiae doceri potest, consuetudinem quandam illi cum Seneca fuisse vel esse potuisse.

Si quis statuere velit, praeter Paulum alios etiam doctores primitivae ecclesiae consuetudinem aliquam cum Seneca habuisse, ei probandum erit, illos *Romae tum temporis vixisse et in ea conditione fuisse*, ut Senecae innotescere possent, vel ea *ingenii et eruditionis laude* excelluisse, quae Senecam ad familiaritatem aliquam cum iis ineundam permovere possent, vel *scripsisse quaedam*, quae nexum cum Seneca aliquem arguant.

Hoc verò de nullo tum temporis doctore Christiano doceri potest, excepto unico Luca.

1. *Apollo*, cui inde a Luthero plures nostrae ecclesiae theologi epistolam nostram adjudicant, ingenii quidem et eruditionis et eloquentiae fama floruit. Vocatur Act. XVIII, 24, *ἀνὴρ λόγιος καὶ δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς*, *facundus homo et exercitatus in S. S. interpretanda*, *εὐτόνως τοῖς Ἰουδαίοις διακατηλέγχετο δημοσίᾳ*, *ἐπιδεικνὺς διὰ τῶν γραφῶν εἶναι τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν*. Ea etiam quae, 1 Cor. I, 22; III, 4, 5, 22. de eo dicuntur, arguunt, eum fuisse facundia insignem, et hinc Christianis Corinthiis percarum. Sed nihil praeterea de eo scimus, scripta nulla ejus supersunt, et nuspiam in N. T. vel in Patribus apostolicis et aliis legitur, eum Romae fuisse, sed postquam Ephesi religionem Christianam adoptaverat, Corinthi et serius in insula Creta vixisse et docuisse; Tit. III, 13.

2. *Barnabas*, cui nonnulli nostram epistolam tribuunt, non sine aliqua eruditione fuisse videtur, si epistola, quae sub nomine ejus circumfertur, genuina est. Sed, quamquam per aliquod tempus Pauli comes fuit, non tamen Romae fuisse narratur. Acta XV, 36—19. referunt, eum, postquam se a Paulo separaverat, in insula Cypro docuisse. Caetera, quae de eo traduntur, incerta sunt. Nihil etiam de Barnabae eloquentia constat; Act. XIV, 12. Pauli, non Barnabae eloquentia laudatur.

3. *Silvanus* vel *Silas*, cui Boehme l. l. epistolam nostram tribuendam esse censet, fuit quidem Pauli comes et coöperarius, ut plures Actorum loci

docent, sed nuspiam in itineribus apostolicis Romam tetigisse perhibetur.

4. *Petrus*, ad quem nonnulli epistolam referunt, si fuerit Romae, certe tum temporis non fuit Romae, cum secundum meam sententiam supra expositam epistola ad Hebraeos scriberetur. Acta enim, quae historiam Pauli usque ad finem biennii captivitatis ejus referunt, Petri Romae praesentis nusquam mentionem faciunt, quod profecto fecissent, si adfuisset. Neque Petrus, quippe piscator Galilaeus, is erat, quem Seneca in familiaritatem adsciscere posset.

5. *Marcus*, consobrinus Barnabae, Pauli et Petri comes fuit quidem Romae inter captivitatem Paulinam, cfr. Col. IV, 11, Philem. 24. Non tamen, ut Paulus, captivus in praetorio detinebatur, ubi illi, ut Paulo, opportunitas Senecam videndi et cognoscendi dari posset. Neque Evangelium ejus sapit Stoici quiddam, neque eum auctorem refert, qui nostram epistolam scribere potuisset.

6. Idem *de Clemente Romano*, quem multi auctorem nostrae epistolae fecerunt, dicere licet. Vixit quidem Romae et Pauli captivi amicus fuit Phil. IV, 3. Sed neque is fuit, quem Seneca suspiceret, si vel statuamus, illum saepius captivum apostolum visere solitum esse, neque epistola ejus ad Corinthios ingenii et eloquentiae insignis testis est, neque Stoici quid continet. Conferantur, quae in capite antecedenti de Clemente dicta sunt.

Commemorantur in Epistolis Paulinis nonnulli vinculorum socii, e. g. *Aristarchus*, Col. IV, 10; *Epaphras*, fundator ecclesiae Colossensis, Col. IV, 12; cfr. Philem. 23: sed homines fuerunt ignoti, magis

sincero erga evangelium et Paulum animo quam ingenio conspicui, hinc consuetudini cum Seneca parum idonei. *Timotheus*, cum ob locum Hebr. XIII, 23. non sit auctor epistolae nostrae, hic non in censum venire potest. *Tychicus*, 2 Tim. IV, 12; *Epaphroditus*, Phil. II, 25; *Titus*, 2 Tim. IV, 10; *Linus*, 2 Tim. IV, 21. aliique fuerunt quidem Romae Paulique captivi amici et adjutores: sed ne ullum quidem indicium reperitur, ex quo pro consuetudine aliqua cum Seneca aliquid suspicari possimus.

7. Solus *Lucas* ex omnibus primaevae ecclesiae Christianae doctoribus is esse videtur, qui Senecae Paulum, ut supra sumsimus et probare studuimus, nonnunquam visenti innotescere et dignus videri potuit, cum quo consuetudinem aliquam aleret. Fuit enim Pauli captivi assiduus comes, et interdum unicus 2 Tim. IV, 11, Antiochiae natus et educatus, et literarum, quae in patria urbe florebant, non expers, eruditione quadam conspicuus, quippe medicus (22) Col. IV, 14, (nulla enim adest idonea causa, cur Lucam hoc loco commemoratum et Lucam Evangelistam eundem esse negemus); praeterea dexteritate in dicendo et scribendo pollens, quod ejus Evangelium et Acta contestantur. Occurrunt etiam in ejus scriptis nonnulla, quae Stoicae philosophiae dogmata vel Senecae scripta delibasse eum indicare videntur. E. g. Luc. XVI, 11, 12, ubi verba: *Εἰ οὖν ἐν τῷ ἀδίκῳ μαμωνᾷ πιστοὶ οὐκ ἐγέ-*

(22) Simeon metaphrastes immo perhibet Lucam, antequam castra Christianorum sequeretur, artis medicae causa in Graeciam et Aegyptum profectum esse.

νεσθε, τὸ ἀληθινὸν τίς ὑμῖν πιστεύσει; καὶ εἰ ἐν τῷ ἀλλοτρίῳ πιστοὶ οὐκ ἐγένεσθε, τὸ ὑμέτερον (alio lectio habet ἡμέτερον) τίς ὑμῖν δώσει; commonefaciunt dogmatis Stoici de iis, quae sunt ἐφ' ἡμῖν, ἡμέτερα, et de iis, quae non sunt ἐφ' ἡμῖν, ἀλλότρια. Cfr. Epictet. cap. 1, 2. Nec non oratio Pauli in Areopago, quam Act. XVII refert, ita quoad singulas sententias comparata est, ut, si quis eam in Latinum idioma vertere velit, eam versionem paene totam ex Senecae scriptis conficere possit; e. g. vs. 25: Ὁ θεὸς — οὐρανοῦ καὶ γῆς κύριος ὑπάρχων, οὐκ ἐν χειροποιήτοις ναοῖς κατοικεῖ. Cfr. Seneca in fragmento apud Lactant. Instit. lib. VI: « Deo non templa congestis in altitudinem saxis exstruenda sunt, in suo cuique consecrandus pectore." De Benef. VII, 7: « Totus mundus est Deorum templum, solum quidem amplitudine illorum ac magnificentia dignum." Vs. 25: Οὐδὲ ὑπὸ χειρῶν ἀνθρώπων θεραπεύεται προσδεόμενός τινος, αὐτὸς διδοὺς πᾶσι ζωὴν καὶ πνοὴν καὶ τὰ πάντα. Cfr. Senec. Ep. 95: « Deum colit, qui novit — non quaerit ministros Deus; quidni? ipse humano generi ministrat; ubique et omnibus praesto est." Vs. 27 et 28: Καίτοιγε οὐ μακρὰν ἀπὸ ἑνὸς ἑκάστου ἡμῶν ὑπάρχων· ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καὶ ἐσμέν. Cfr. Senec. Epist. 41: « Prope est a te Deus, tecum est, intus est;" de Benef. V, 3: « Quocunque te flexeris, Deum videbis occurrentem tibi, nihil ab illo vacat." Pauli quidem fuit illa oratio in Areopago habita: sed Lucas eam referens, si non simulacrum orationis pro oratione vere habita dedisse credendus sit, certe liberius et genio suo indulgens verba Pauli expressit. Plura ex Lucae scriptis afferre possem, quae eum Stoicorum scitorum

non ignarum fuisse testari possint, sed in locis allatis acquiescam.

Atque jam haetenus probabilitatem quandam habet sententia eorum, qui Lucam auctorem nostrae epistolae faciunt (23). Huc accedit, quod multae voces et loquendi formulae ad Hebraeos Epistolae peculiares unice in scriptis Lucae, neque alibi in N. T. leguntur: e. g. ἐπιστέλλειν, pro *scribere epistolam*, Act. XV, 20; XXI, 5; Hebr. XIII, 22; ἡγούμενοι, pro *verbi ministris*, Act. XIV, 12. et XV, 22, Hebr. XIII, 7, 17, 24; ἀρχηγὸς, Actor. I, 15. V, 31. Hebr. II, 10 et XII, 2. Cfr. Grotii Prolegg. Annott. in Epist. ad Hebraeos.

Hinc, si quis alius praeter Paulum auctor nostrae epistolae censendus sit, prae caeteris Lucam suspicarer.

Sunt tamen plures causae, quae vetant Lucam auctorem agnoscere:

a. Lucas enim non scribere poterat, *quae leguntur Hebr.* XIII, 18, 19: Προσεύχεσθε περὶ ἡμῶν — περισσοτέρως δὲ παρακαλῶ τοῦτο ποιῆσαι, ἵνα τάχιον ἀποκατασταθῶ ὑμῖν; quae verba, ut supra docuimus, ad praesentissimum mortis periculum, in quo auctor versabatur, et ad vincula, ex quibus liberationem maximopere expetebat, referenda sunt. Nuspiam vero legimus, Lucam vinculis detentum esse et in vinculis mortis periculum subiisse. Haec verba Paulo qui-

(23) Praeter Grotium et Crellium in libro larvato *Artemonius sive de initio Evangelii restituto* p. 98, quos supra notavi, recentissime Lucae epistolam nostram tribuit Köhler *über die Abfassungszeit* etc. p. 206 sqq. §. 63.

dem, sed nullo modo Lucae accommodata sunt.

b. Neque tam *arctis cum Christianis Palaestinensibus amicitiae vinculis nexus erat Lucas*, ut dicere posset: « Precamini pro me, ut vobis restituar." Multi, ut supra monui, putant, ne Paulum quidem ita scribere potuisse ad Christianos Palaestinenses; quanto minus Lucas, qui minoris adhuc gratiae et auctoritatis, quippe discipulus et assecla Pauli, apud eos fuit, ita scribere potuit! Provocant quidem nonnulli ad locum 2 Cor. VIII, 18, 19, in quo Paulus Corinthios ad liberalitatem erga coetum Christianorum Hierosolymitanum adhortatur, et mentionem facit ἀδελφοῦ οὗ ὁ ἔπαινος ἐν τῷ εὐαγγελίῳ διὰ πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν, quem una cum Tito stipis erogandae causa ad Corinthios misisset. Hunc ἀδελφὸν putant fuisse Lucam, et stipe eroganda in usum coetus Hierosolymitani optime de Hebraeis meritum ideoque iis percarum fuisse. Sed quaeritur, num hic ἀδελφὸς fuerit Lucas. Vix credi potest, cum Paulus Titum nominet, Lucam, maximae auctoritatis doctorem Christianum, non ejus nomine, sed simpliciter τὸν ἀδελφὸν a Paulo appellatum esse. Hinc etiam discrepant interpretes hujus loci in definiendo, quis fuerit iste ἀδελφός. Cfr. Mosheim *Erklärung des zweyten Briefes an die Korinthier*, p. 440.

c. Porro non *tantae auctoritatis esse* potuit Lucas, ut suo nomine Timotheum ad mandata quaedam exteris Christianis perferenda mittere posset; cfr. Hebr. XIII, 23. Haec missio Timothei potius ad virum apostolica auctoritate gaudentem referenda est.

d. Porro, si Lucas, parentibus gentilibus natus, auctor epistolae esset, quo tandem modo initio epi-

stolae dicere potuisset: Πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως πάλαι ὁ θεὸς λαλήσας τοῖς πατράσιν ἐν τοῖς προφήταις, ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τούτων ἐλάλησεν ἡμῖν ἐν υἱῷ. Hic τοῖς πατράσι opponuntur ἡμεῖς, id est, majoribus Judaeorum Judaei inde oriundi, tempore, quo auctor nostrae epistolae scribebat, viventes, ergo natione Judaei, ad quos Lucas non est referendus. Cfr. Col. IV, 14, ubi Lucas inter coöperarios ἐκ περιτομῆς non numeratur. Testibus Eusebio H. E. III, 4, Hieronymo de Script. eccl. c. 7. Lucas est Antiochiae natus, ubi primitivus Christianorum coetus non ex natione Judaeis, sed tantummodo ex Gentilibus et proselytis constabat, Act. XIV, 26; XV, 1; Gal. II, 11. *Cfr.* Bertholdt l. l. Tom. III, p. 1288.

e. Denique non credibile est, Lucam, si esset auctor, *ne uno quidem verbo Pauli mentionem fecisse*, Pauli nomine Christianos Palaestinenses non salutasse, cum Paulo esset amicissimus, neque inde Paulo captivo damni quid enasci posset (24). Prudentis quidem erat, ob Neronis iram in Christianos jam ingravescentem Christianorum Romanorum eorumque doctorum nomina tacere, neque eorum nomine salutare Hebraeos. Nomine Pauli vero eos salutare, qui jam ob religionis Christianae confessionem in vincula conjectus erat, nullo modo Paulo nocivum esse potuit.

Si aliquatenus Lucas ad nostram epistolam sua

---

(24) Si vel jam mortuus esset apostolus, et Lucas serius, quam a me positum est, epistolam nostram scripsisset, non sibi temperare potuisset, quo minus pietate erga apostolum sibi amicissimum ductus XIII, 7. Pauli mentionem faceret.

contulit; hoc non ad argumentum et sententias, sed tantummodo ad stylum Paulino in caeteris epistolis elaboratiorem referendum est (25). *Neque hoc sumere prorsus necessarium* est, cum Paulus intra biennium captivitatis Romanae, cujus fine vel paullo post nostram epistolam ab eo scriptam esse ostendimus, nullis gravioribus negotiis itineribusque distentus, bene otio sibi concesso utens, sine dubio multa stylo elaboratiori scripta volumina legerit, et ad eorum exemplum suam scribendi rationem sensim confirmaverit. A viris doctis animadversum est, scribendi rationem Paulinam jam in Epistola ad Philippenses esse meliorem et ad usum loquendi bonae notae auctorum Graecorum esse accommodatiorem. Hinc Epistola ad Hebraeos, quae post illam scripta est, tersiori et elaboratiori stylo gaudere potuit. Huc accedit, quod indoles epistolae ad Hebraeos alia est ac caeterarum Pauli epistolarum. Orationi magis quam epistolae similis est; ergo etiam exquisitiori dicendi genere auctori utendum erat. Cfr. Wetstenius in *Prolegg. ad h. Ep.* Neque vero adeo incorrupta sermonis Graeci integritas, et tersa styli elegantia inest in nostra epistola, ut caeteris Paulinis epistolis plane dissimilis sit. Cfr. Kuinoel *Prolegg. Comm. in Epist. ad Hebr.* XIX.

---

(25) Cfr. Hug *Einleitung ins N. T.* T. II, p. 492: » Wollte man einen Einfluss des Lucas auf den Ausdruck dieser Epistel vermuthen; was stände wohl entgegen? Er war in diesem Zeitraum im Vertrauen des Apostels so hoch gestiegen, dasz seine Mitwirkung zur zierlichen Vollendung des Briefes wohl denkbar wäre.

CAPUT SEPTIMUM.

Magna igitur cum probabilitate statuitur, Paulum esse auctorem ad Hebraeos Epistolae, additis nonnullis, quae hactenus tractata magis adhuc commendare videntur.

Si non fallacia sunt, quae per sex capita antecedentia exposui, sed satis idoneis exegeticis, historicis et chronologicis argumentis nituntur; *sequitur* etiam, Paulum nostrae epistolae esse auctorem, eamque sub finem captivitatis Romanae exarasse.

Atque eo proniores ad ea, quae de origine nostrae epistolae exposui, comprobanda reddimur, cum his positis

A. *pleraque, quae multis originem Paulinam fecerunt suspectam, evanescant.*

1. Suspecta videtur multis origo nostrae epistolae Paulina ob *plures voces et sententias in caeteris epistolis Pauli non obvias.*

Profecto non mirum, si Paulus intra biennium captivitatis suae consuetudinem aliquam cum Seneca habuit, et vel saepius cum eo colloquendo, vel libros ejus, qui tum temporis magna ex parte scripti erant vel scribebantur, legendo (26), vel aliorum Stoico-

(26) Usteri in libro: *Entwickelung des Paulinischen Lehrbegriffes*, 1831. p. 7. recte ita judicat: » Eine allmählige Entwickelung und historische Ausbildung der Lehre des Paulus wird man zu-

rum libros, qui ei a Seneca suppeditabantur, perlustrando, familiaritatem quandam cum Stoicorum doctrina contraxit.

Istae enim voces et sententiae ad Hebraeos epistolae peculiares, magna ex parte, ut in capite primo exposui, Stoicorum dogmata sapiunt.

In prioribus Pauli epistolis Romae scriptis ejusmodi voces et sententiae rariores sunt, quia Paulus nondum arctiorem cum Stoicorum scitis familiaritatem contraxerat, et quia epistolae illae breviores sunt: epistola ad Hebraeos vero prolixior est, et tractatiunculae magis quam epistolae formam prae se fert.

Negare tamen nolim, vel in epistolis ante captivitatem Pauli Romanam scriptis, e. g. in Epistola ad Romanos et Epistolis ad Corinthios nonnulla occurrere, quae ad Stoicorum placita referri possint, Rom. VII, 17—23; VIII, 19—22; XI, 33—36 cet. Id vero tan-

---

geben mussen, wenn man nicht annehmen will, sein ganzes System sey auf einen Schlag fertig geworden und später kein Jota weder dazu noch davon gekommen. Doch dagegen sind seine eigene Schriften das lauteste Zeugniss. Sehen wir, wie seine frühesten Briefe, die an die Thessaloniker, noch voll sind von der Hoffnung auf die baldige Wiederkumst Christi; wie diese sich stuckenweise verlieret bis in den Briefen an die Colosser und Epheser, wo fast gar keine Spur mehr von ihr zu finden ist — und wo die Universalität des Christenthums — die Vernichtung hingegen des Judischen Staates und Gesetzes verkündet wird: so erkennen wir eine herrliche Entwickelung" etc. Idem pag. 217: »der Hebräer Brief enthalt schon die Keime zu der Ansicht, die wir die moderne nennen können, dasz das Leben auf Erden ein Vorbereitungszustand auf den Himmel sey." Eo magis miror, quod originem epistolae nostrae Paulinam neget, p. 5. Omnino optassem, ut auctor hujus praestantissimi libri ostenderit vim, quam in excolenda sensim Paulina doctrina philosophemata Gentilium habuerint, quae profecto nonnulla est.

tum abest, ut meae opinioni adversetur, ut probet, Paulum jam in juventutis annis, cum in urbe patria Tarsi, scholarum philosophicarum domicilio tum temporis, ut supra notatum est, celeberrimo educaretur, notitiam aliquam Stoicae philosophiae imbibisse, et ideo, cum Romae captivus detineretur, et in familiaritatem aliquam cum Seneca adscitus occasionem Stoicae philosophiae accuratius cognoscendae peropportunam nanciscceretur, eo lubentius in eas literas, quarum notitiam aliquam a prima inde juventute sibi conciliaverat, incubuisse et lectitandis Stoicorum et Senecae scriptis operam navasse.

Neque hoc Stoicarum literarum studium a doctore Judaico eoque Pharisaeorum sectae addicto prorsus alienum esse censere possumus, cum constet, Pharisaeos in multis cum Stoicis consensisse. Sicut Sadducaei cum Epicureis, Esseni cum Platonicis comparari solent; sic Pharisaei cum Stoicis comparari possunt. Habent enim nonnulla cum Stoicis convenientia. Josephus in Bello Judaico lib. II, c. 7, p. 788, G. edit. Colon. haec habet: *Φαρισαῖοι εἱμαρμένῃ καὶ θεῷ προσάπτουσι πάντα· καὶ τὸ μὲν πράττειν τὰ δίκαια καὶ μὴ, κατὰ τὸ πλεῖστον, ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις κεῖσθαι, βοηθεῖν δὲ εἰς ἕκαστον καὶ εἱμαρμένην.* Antiquit. Jud. lib. XVIII, 2, p. 617, D: *Ἔπονται οἱ Φαρισαῖοι τῇ ἡγεμονίᾳ, ὧν ὁ λόγος κρίνας παρέδωκεν ἀγαθῶν. Πράσσεσθαί τε εἱμαρμένῃ τὰ πάντα ἀξιοῦντες, οὐδὲ τοῦ ἀνθρωπείου τὸ βουλόμενον τῆς ἐπ' αὐτῇς ὁρμῆς ἀφαιροῦνται.* Cfr. Antiqq. Jud. l. XIII, 9, p. 442, E.

Sic et Stoici de fato docere et libertatem humanam cum fato conciliare solebant. Cfr. Tiedemann, *Geist der speculativen Philos.* T. II, p. 486 sqq.

2. Suspectam multis reddunt originem nostrae epistolae Paulinam *dicendi et tractandi genus Philonianis scriptis simile*, et *convenientia locorum quorundam cum Philonis scriptis*, et *phrases in Philonis scriptis passim obviae.*

Nolim negare, in Epistola ad Hebraeos nonnulla Philoniana reperiri. Num vero inde sequitur, Paulum non esse auctorem nostrae epistolae, sed Alexandrinum quendam doctorem, nominatim Apollonium? Nonne etiam Paulus scripta Philonis legere potuit? Immo, positis iis, quae supra de origine nostrae epistolae exposuimus, opportunam libros Philonianos legendi occasionem nactus est. Philo enim anno post Chr. n. 41. (Cfr. Beck *Welt- und Völkergeschichte*, Tom. II, p. 394, not. *t.* et Schroeckh, *Kirchenq.* Tom. II, p. 100, qui habet annum 40) Romae fuit, cum princeps legationis Judaicae Alexandria Romam ad Caligulam mitteretur, ut ex libro ejus post obitum Caligulae scripto sub titulo: *Legatio ad Cajum et Virtutes Caji* patet. Hic liber coram Senatu Romano lectus et ita laudatus esse dicitur, ut caetera ejus scripta digna judicata sint, quae in bibliothecas Romae publicas referrentur. Cfr. Cave *Histor. Liter.* P. I, saec. 5. Si vel hoc dubium esset, certe scripta tanti doctoris, pro salute popularium Romae periclitantis, Judaeis Romae commorantibus non ignota manebant, sed exempla eorum in multorum manibus versabantur. Quid mirum, si Paulus, tantum temporis Romae commorans nullisque itineribus et negotiis distractus, Philonis libros nonnullos lectitarit et inde nonnulla Philoni peculiaria assumserit? Quid mirum, si, epistolam no-

stram sub finem captivitatis scribens, quoad stylum et phrases nonnullas et citandi formulas, φιλωνίζειν videatur? In epistolis ante captivitatem Romanam scriptis hoc non potuit fieri, quod Paulus Philonis scripta vel nondum cognoverat, vel, si cognoverat (2), negotiis apostolicis distentus lectitare non potuerat. Quod attinet ad epistolas inter captivitatem scriptas, parum Philoniani in iis reperitur, vel ob argumenti rationem nostrae epistolae plane dissimilem, vel *quod* auctor tum, cum eas scriberet, lectione Philonis scriptorum nondum satis imbutus erat. Bene monet Böhme Praef. X: « Alexandrinum aliquid in genere scribendi deprehendere sibi visi sunt interpretes in epistola ad Hebraeos. Cui sententiae ut nolimus *repugnare*, saltem eam non tantum valere censemus, quantum a nonnullis putatum animadvertimus, ut de patria vel auctoris vel lectorum certo inde possis judicare. Neque vero nostrum ipsum ex Alexandria oriundum esse, propterea censere cogimur, quod *multa* habet — Philoni Alexandrino propria, si cogitemus, libros Philonis ab eo extra Alexandriam legi *potuisse*."

In universum a multis nostrae aetatis theologis nimium momenti in interpretando N. T. et constituenda doctrina apostolica tribuitur Philoni, quippe homini literarum Hebraicarum ignaro et a simplicitate evangelica prorsus alieno. Cfr. Theile, *Christus und*

---

(2) Fortasse per Apollonium Alexandrinum. Constat etiam, Philonem Hierosolymis fuisse, ut nomine Judaeorum Aegyptiorum in templo sacrificia offerret, (cfr. Kuinoel ad Hebr. IX, 7) ibique scripta sua cum doctoribus Judaeorum communicandi occasionem habuisse.

Philo, in *Neues Kritisches Journal der Theol. Literatur von Weier und Engelhard*, B. IX, n. 4.

3. Suspecta nonnullis videtur origo epistolae nostrae Paulina ob *descriptionem Templi Hierosolymitani et rituum in eo peragi solitorum, quam non accurate cum descriptione, quae in V. T. legitur, concordare dicunt.* Si Paulus, inquiunt, auctor epistolae esset, homo quippe Judaeus diuque Hierosolymae commoratus, et, quae ad oeconomiam templi et ritus sacros pertinent, eorum bene gnarus; ne unguem quidem a descriptione, quae in Pentateucho est, et ad cujus normam cuncta in templo accommodata erant, discessisset. Verum enimvero discessit. Testantur hoc plures versus capitis noni, et discrepantes interpretum sententiae, quibus auctorem epistolae nostrae cum Pentateucho conciliare studuerunt.

Hanc difficultatem expediendi facillima ratio est, si sumamus Paulum Romae sub finem captivitatis suae epistolam nostram scripsisse, cum quinque fere anni elapsi essent, ex quo Hierosolymae commorans ritibus sacris in templo interesse poterat. Atque haec ultima commoratio Pauli in metropoli Judaeorum perbrevis fuit, subsequens diuturna itinera in exteris regionibus. Facile igitur fieri potuit, ut Paulus, in nostra epistola describens templum et oeconomiam templi et ritus sacros, lapsum memoriae experiretur, praesertim cum non inde a pueritiae annis Hierosolymis habitasset (3).

---

(3) Qui alias hanc difficultatem expediendi rationes scire cupit, adeat Commentarium Kuinoelii ad caput IX.

Si objicitur, Paulum, quippe doctorem Judaicum et lectione V. T. imbutum, accuratius oeconomiam et ritus templi Hierosolymitani describere potuisse; hoc tangit etiam Apollonium, vel quemcunque alium doctorem Alexandrinum, si auctor epistolae nostrae esse ponitur. Alexandrini enim doctores, aeque ac Paulus, argumentum Pentateuchi norant et quae ad normam ejus in templo peragenda essent. Plerumque vero memoriter et hinc minus exacte libris V. T. doctores Judaici uti solebant.

4. Suspecta videtur nonnullis origo epistolae Paulinae, quod *Paulus, Judaeis et Christianis Palaestinensibus invisus, non ausus esset, ad eos epistolam scribere*, vel *si auderet, timere debuisset, ne oleum et operam perderet, certe non promisisset, se eos visere et in urbem venire velle, in qua tot mala perpessus erat.*

Sed, si sumamus, Paulum Romae captivum a popularibus suis, qui Romae erant, nec non a Romae incolis ipsis, qui magna apud Caesarem auctoritate florebant, honorifice habitum, sub finem captivitatis suae scripsisse nostram epistolam; haec etiam objectio non parum diluitur. Apostolus tribus fere annis post profectionem ex Palaestina elapsis sperare poterat, animos Palaestinensium olim sibi infensos refrigusse, maxime adjutus benevolo de se testimonio Judaeorum Romanorum. Magna enim Judaeorum multitudo Romae habitabat, quibuscum inde ab initio captivitatis Act. XXIV, 17 sqq. colloquia instituerat, et quorum permultos ad Jesum tamquam Messiam agnoscendum ejusque doctrinam amplectendam compulerat, do-

cens, se nihil, quod patriis moribus ac legibus repugnet, sed ἐλπίδα τοῦ Ἰσραὴλ, in Jesu completam, proponere. Et quamquam ab initio plures renitebantur (ἠπίστουν, Actor. XXVIII, 24); multi tamen dictis Pauli obsequi non dubitabant. Quoque magis rum integritatem animique candorem et non fucatam erga Deum pietatem, quae in apostolo fuit, cognoverunt, eo plures Paulo favere coeperunt (4). Cum praeterea nonnullos ex ipsa domo Caesaris ejus asseclas et amicos, nec non Senecam, virum honoribus et auctoritate conspicuum, Paulum interdum visentem et cum eo colloquentem viderent et audirent; non potuit non fieri, ut Paulum suspicere et honorare inciperent. Cum porro Judaei Romani cum Hierosolymitanis multum commercii per literas et nuntios et ultro citroque proficiscentes populares haberent; hac occasione benevole de apostolo Hebraeis scripserunt, et vice versa etiam ab his, in melius mutatos erga Paulum animos esse compererunt et Paulo renuntiaverunt. Auctores fortasse etiam Paulo fuerunt, ut ad Hebraeos scriberet, et in scribendo argumentis ejusmodi uteretur, quae animos Hebraeorum non offenderent, eos in confitenda evangelii doctrina confirmarent, et Judaeos nondum Christianos ad amplectendam majorum ἐλπίδα in Jesu completam proniores redderent. Hinc argumentum epistolae ita comparatum est, ut ea absint, quae consopitam Hebraeorum

(4) Habuit etiam Paulus Romae συγγενεῖς, *cognatos*, Rom. XVI, 7, 11. (Cfr. Bertholdt *Einleitung*, T. VI, 3281), qui benevolo erga eum essent animo.

iram denuo concitare possent. Tribuit in ea non parum pretii ritibus et sacrificiis in templo Hierosolymitano peragi solitis; docet vero, omnia ista iis, quae in religione Christiana nobis exhibeantur, multum superari, religionem Christianam esse quasi complementum religionis Mosaicae; in libris V. T. propheticis multis ante saeculis promissum, et novam oeconomiam, quoad auctorem et efficaciam in animis hominum emendandis et consolandis et salutem, quam nobis impertiat, Mosaica oeconomia longe superiorem esse.

Caetera, quae suspectam Paulinam epistolae originem reddere possunt, leviora sunt, et jam initio hujus libri dijudicata (5).

B. Si, quae de origine Paulina epistolae exposui, admittimus; *lux clarior multis locis, quae alias obscuritate quadam laborant, affunditur.*

1. Huc pertinet *locus Hebr.* XIII, 18, 19: Προσεύχεσθε περὶ ἡμῶν· πεποίθαμεν γὰρ, ὅτι καλὴν συνείδησιν ἔχομεν, ἐν πᾶσι καλῶς θέλοντες ἀναστρέφεσθαι. Περισσοτέρως δὲ παρακαλῶ τοῦτο ποιῆσαι, ἵνα τάχιον ὑμῖν ἀποκατασταθῶ. Auctor maximopere Palaestinenses Christianos adhortatur, ut preces pro se ad Deum faciant, ut citius e vinculis liberetur, iisque restituatur. Addit causam, cur hoc facere debeant: Immeritus pa-

(5) Addo his denominationem Jesu voce ἀπόστολος III, 1, qua Paulus in epistolis caeteris non usus est. Sed quidni ita nominet Jesum κατ' ἐξοχήν, qui toties se ἀποσταλέντα παρὰ τοῦ πατρὸς dixerat? Alibi etiam sensu latiori *apostolus* a Paulo usurpatur, e. g. Philipp. II, 25.

tior et vinculis detineor, conscia mens recti mihi est, quum semper vitae integritatem sectari studeam. Quis alius doctor insignis Christianus tum temporis de se sic loqui potuit! Quam egregie ea conveniunt verbis apologeticis Pauli coram Felice prolatis Act. XXIV, 16: *ἀσκῶ ἀπρόσκοπον συνείδησιν ἔχειν πρὸς τὸν θεὸν καὶ τοὺς ἀνθρώπους διαπαντός*! Quam egregie ea respondent sermoni, quem Paulus ad Judaeos statim ab initio captivitatis Romae habuit Act. XXVIII, 17—20! Amoliri vult vs. 18, 19, in animis lectorum suspicionem hinc illinc revivescentem, quasi osor populi sui et apostata meritas poenas lueret, et ita ad deprecandum pro sua salute Hebraeos propensiores reddere.

2. Huc pertinet locus XIII, 23: *γινώσκετε τὸν ἀδελφὸν Τιμόθεον, ἀπολελυμένον, μεθ' οὗ (ἐὰν τάχιον ἔρχηται) ὄψομαι ὑμᾶς*. Si Paulus auctor est epistolae eamque sub finem captivitatis Romanae, ergo post Epistolam ad Philippenses scripsit, sensus hujus versus expeditus est. In epistola ad Philippenses enim II, 19 scripserat: *Ἐλπίζω, Τιμόθεον ταχέως πέμψαι ὑμῖν, ἵνα κἀγὼ εὐψυχῶ, γνοὺς τὰ περὶ ὑμῶν*. Jam si, quod verisimile est, brevi post Timotheum misit ad Philippenses, in nostra epistola ad Hebraeos serius scripta dicere poterat: « Scitote, Timotheum a me missum esse, scil. ad Philippenses, cum quodam mandato. Si brevi redierit, ego vos visam non solus, sed illo comite, qui mihi percarus est, ut scitis, nec non vobis, quippe post adoptatam religionem Christi circumcisus." Qui aliam quam Paulum hoc versu 23 loqui putant, dubii haerebunt, quomodo bonum sensum illi

eliciant (6).

3. Huc pertinent verba vs. 24: Ἀσπάσασθε πάντας τοὺς ἡγουμένους ὑμῶν. Offendit multos, quod praesides ecclesiae, qui aliis vocantur a Paulo πρεσβύτεροι et ἐπίσκοποι, hoc versu et in versu 17 ἡγούμενοι nominentur. Hug, *Einleitung ins N. T.* T. II, p. 469 contendit, ita in Palaestina antistites coetuum Christiani appellatos esse, sed non satis probat. Eusebius *Demonstr. Evangel.* lib. VII, c. p. 333, D. tres ordines coetuum Christianorum nuncupat, nimirum ἡγουμένους, πιστοὺς et κατηχουμένους: Τρία, inquit, κατ' ἐκκλησίαν τάγματα, ἓν μὲν τὸ τῶν ἡγουμένων, δύο δὲ τὰ τῶν ὑποβεβηκότων, τοῦ τῆς ἐκκλησίας τοῦ Χριστοῦ λαοῦ εἰς δύο τάγματα διῃρημένου, εἴς τε τὸ τῶν πιστῶν καὶ τῶν μὲν μηδέπω τῆς διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας ἠξιωμένων. Antistites et doctores coetuum Christianorum Eusebii temporibus vocati sunt ἡγούμενοι, — sed quaeritur, num etiam aetate apostolica? Paulus non mihi constans est in nuncupandis antistitibus Christianorum, modo προϊστῶτες 1 Tim. V, 17, modo προϊστάμενους 1 Thess. V, 12 (7), plerumque πρεσβυτέρους et ἐπι-

(6) Nonnullis etiam suspectum videtur, quod Timotheus in hoc loco simpliciter ἀδελφὸς dicitur, cum aliis in locis honorificentius et benevolentius, τέκνον, τέκνον γνήσιον, συνεργός vocetur, et quod ἀδελφὸς nomini proprio praeponitur, cum alias postponatur. Sed et in aliis epistolis nonnunquam cum ἀδελφὸς 2 Cor. I, 1. Col. I, 1. et quod hoc loco praeposuit hanc vocem nomini proprio, fortuitum est.

(7) Hic locus est parallelus Hebr. XIII, 17, et haec habet: Πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν καὶ ὑπείκετε· αὐτοὶ γὰρ ἀγρυπνοῦσιν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν, ὡς λόγον ἀποδώσοντες· ἵνα μετὰ χαρᾶς τοῦτο ποιῶσιν καὶ μὴ στενάζοντες· ἀλυσιτελὲς γὰρ ὑμῖν τοῦτο. Πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν ἐν κυρίῳ καὶ νουθετοῦντας ὑμᾶς· καὶ ἡγεῖσθε αὐτοὺς

σπόρους eos nominans. Nunc eos nominat ἡγουμένους honoris causa, quoniam Romae in usu erat, ut procuratores et legati et consiliarii Caesarum ἡγούμενοι vocarentur (8). Hinc etiam Lucas in Actis quippe Romae scriptis XV, 22 Judam et Silam ἡγουμένους vocat. Notatu dignus est locus in epistola priori Clementis Romani ad Corinthios cap. V. ubi haec leguntur: Παῦλος διὰ ζῆλον ὑπομονῆς βραβεῖον ὑπέσχεν — καὶ ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως ἐλθὼν καὶ μαρτυρήσας ἐπὶ τῶν ἡγουμένων, οὕτως ἀπηλλάγη τοῦ κόσμου καὶ εἰς τὸν ἅγιον τόπον ἐπορεύθη, ὑπομονῆς γενόμενος μέγιστος ὑπογραμμός. Duplici modo verba ἐπὶ τῶν ἡγουμένων μαρτυρήσας explicantur. Qui alteram captivitatem Pauli defendunt, sub ἡγουμένοις Helium Caesarinum, Tigellinum et Sabinum, quibus Nero cum Achajam anno 66 proficisceretur, urbis et imperii curam commiserat, intelligunt, et contendunt; ab iis una cum Petro anno subsequente 67 supplicio affectum et martyrio donatum esse. Köhler lib. l. p. 109. ipsos Caesares sub hac voce intelligit, qui quatuor fuerunt anno p. Chr. n. 69.

Qui alteram captivitatem Pauli negant, sub ἡγουμένοις magistratus et judices, coram quibus Paulus causam suam Romae dixit, (ἐμαρτύρησε non in significatione ecclesiastica sumentes) intelligunt.

ὑπεμεινατε ἐν ἀγάπῃ διὰ τὸ ἔργον αὐτῶν. Unus idemque, Hebr. XI, 27. et haec verba diligenter comparatura, scripsisse videbitur.

(8) Actor. VII, 10, ubi Josephus a rege Aegypti dicitur constitutus esse ἡγούμενος ἐπ' Αἰγύπτου; cfr. Luc. XXII, 26.

Sive vero hanc sive illam explicationem hujus loci sequaris, hoc manet, in usu tum temporis fuisse Romae, ut summi magistratus et proceres imperii ἡγούμενοι appellarentur. Paulus ergo Romae commorans et scribens, morem Romanorum imitatus, antistites coetuum Christianorum vocavit ἡγουμένους.

4. Nec non *οἱ ἀπὸ τῆς Ἰταλίας*, vs. 24, expediliorem interpretationem admittunt, si ponimus, nostram epistolam sub vel post finem biennii Romani a Paulo Romae scriptam esse. Periculosum enim jam tum Romae esse coepit, Christianum esse. Incidit scriptio epistolae nostrae in illud fere tempus, quo invidia Romae jussu Neronis, ut putabatur, incensae in Christianos Romanos devolvebatur. Principium hujus incendii, teste Tacito *Annal.* XV, 38, 41, in diem XIV Calend. Sextil. anni p. U. C. 817. C. Lecanio et M. Licinio consulibus incidit, qui annus est p. Chr. n. 64. Tacitus *Annal.* XV, 44, postquam dirum hoc et horrendum incendium, per sex continuos dies durans et plus quam dimidiam partem urbis consumens, descripserat, haec narrat: « Non ope humana, non largitionibus principis vel Deum placamentis decedebat infamia, quin jussum incendium crederetur. Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursus erumpebat non modo per Judaeam originem hujus mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atro-

cia aut pudenda confluunt celebranturque. Igitur primo correpti, qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens haud perinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt." Ita Tacitus idoneus hujus rei arbiter, quippe jam Vespasiani temporibus procurator Galliae factus et ideo incendii paullo ante facti sine dubio testis oculatus eorumque, quae de Christianis tum temporis judicia Romae ferebantur, bene gnarus. Male igitur Christiani sub tempus incendii, quo epistola nostra scripta est, audiebant, et periculosum erat Romae Christianum esse. Hinc caute et circumspecte et saluti Christianorum consulens, metuensque ne epistola in alienas manus veniret, scripsit fine epistolae: ἀσπάζονται ὑμᾶς οἱ ἀπὸ τῆς Ἰταλίας. Noluit Christianos Romanos nominare, ne detrimenti quid caperet.

Quanta lux multis aliis locis epistolae nostrae, posito hoc, quod de origine ejus, et consuetudine auctoris cum Seneca exposui, affundatur, capite secundo jam uberius ostendi, et hunc praecipuum fructum esse, qui in epistolam ad Hebraeos rite explicandam redundaturus sit ex mea opella, non temere confido.

Cum praeterea in Epistola ad Hebraeos nihil reperiatur, quod a Pauli ingenio et Pauli temporibus sit alienum, cum pleraque, quae in illa occurrunt, pro Paulo auctore faciant, Paulina θεολογούμενα et ἀλληγορούμενα, Paulina νοήματα et δόγματα (9), Judaicae

(9) Quae Usteri in libro: *Entwickelung der Paulinischen Lehrbegriffen*, tamquam τύπον διδαχῆς Paulinae, ex tredecim epi-

eruditionis crebra vestigia, voces et phrases Paulinae, vincula Paulina et familiaritas cum Timotheo; nulli nisi praeconceptis opinionibus occoecato absurda videbuntur, quae pro Paulo auctore epistolae ad Hebraeos in hocce libello proposuimus.

C. Caeterum haud vereor ut sint, qui judicent meam sententiam de nexu auctoris epistolae nostrae cum Stoico quodam philosopho, et inde nonnullis sententiis et placitis passim in illa obviis derivandis, *impiam et auctoritate Pauli apostolica indignam esse.*

1. *Primo* enim, sicut omnes artes et literae, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum et quasi cognatione quadam inter se continentur; sic etiam et multo magis ea, quae unquam sapientes viri et θεόπνευστοι de rebus sacris ad Deum cognoscendum et colendum pertinentibus meditati et philosophati sunt, arctissimo vinculo inter se cohaerent ita, ut alterum ex altero oriatur, alterum altero tamquam basi nitatur, alterum ab altero mutuetur, alterum alterum confirmet, alterum alteri majorem lucem affundat, alterum alterum efficacius in animis hominum emendandis et consolandis reddat. Sicut diluculum et aurora et sol oriens et lux meridiana continuo tenore inter se cohaerent, sic et philosophemata et systemata theologica diversis temporibus et apud diversas gentes continuo et contiguo quodam nexu inter se juncta sunt. Nec religio Chri-

---

stolis Paulinis dente expetuit, ea omnia etiam insunt in nostra epistola.

stiana, sicut Deus ex machina, in terram descendit et inter homines dissipata est, sed, praeparata et sustentata Mosaicae religionis et ethnicorum philosophorum placitis, brevi tempore tot homines ex omnibus populis nacta est fautores et asseclas. Nihil ergo auctoritate religionis Christianae indigni statuitur ab his, qui putant, ex Stoicorum etiam placitis et libris nonnulla a doctoribus primitivae ecclesiae hausta et in usus Christianorum translata esse.

2. *Deinde*, ista, *quae in epistolis* Paulinis et nominatim in epistola ad Hebraeos Stoicorum dogmata sapiunt, *nullam* apud nos *auctoritatem* habent, quoniam Stoica sunt, sed quoniam Paulus iis usus est, suaque auctoritate apostolica ea sanxit et confirmavit.

3. *Porro* apostolum ea tantummodo a Seneca mutuatum esse Paulum censeo, *quae religioni Christianae essent accommodata*, rejectis et improbatis iis, quae ei essent contraria. Hinc Paulus non ita, ut Seneca, Christianos ad constantiam in adversis et patientiam malorum, quae ob religionis Christianae confessionem experiebantur, adhortatur. Nequaquam autochiriam commendat, ut Seneca de Provid. VI: 6. « Ferte fortiter, contemnite paupertatem, contemnite fortunam, contemnite mortem. Si pugnare non vultis, licet fugere. Ex omnibus rebus, quas esse vobis necessarias volui (loquentem introducit Deum), nihil feci facilius, quam mori. Prono animam loco posui. Attendite modo et videbitis, quam brevis ad libertatem, et quam expedita ducat via. Non tam longas in exitu vobis, quam intrantibus,

moras posui. — Omne tempus, omnis vos locus doceat, quam facile sit renuntiare naturae et munus suum illi impingere." Paulus prorsus alia ratione Christianos ad constantiam in adversis adhortatur: « Cum, inquit, tanta undique cingamur testium copia; constantes persequamur certamen nobis propositum, intuentes maxime fidei antesignanum et consummatorem, qui ut summa felicitate gaudere posset, crucis supplicium subiit, et spreta ignominia, ad dextram solii divini consedit. Spectate illum, ne deficiatis animo. Vos manet, sicut illum, urbs Dei vivi, Hierosolyma coelestis, coetus et concio primogenitorum, albo coelesti inscriptorum, cet."

Paulus quamquam subinde Stoïca in suum *usum* convertens, mansit Christianus; sicut Seneca, quamquam dogmata Christianorum ex Paulo cognovit et in suos subinde usus adhibuit, mansit Stoicus fati et antochirias defensor acerrimus.

4. Verisimile mihi enim videtur, ut jam supra dixi, in *Senecae libros nonnullos quaedam e Christianorum placitis fluxisse*, in eos nimirum, qui, ex quo familiaritatem quandam cum Christianis contraxerat, scripti sunt, inter quos maxime librum de Providentia, Epistolas et Naturales Quaestiones refero.

5. Denique ab omnibus concedendum est, Paulum in suis sermonibus et epistolis subinde etiam *ex aliis scriptoribus ethnicis hausisse*. Notus est locus Act. XVII, 28: Ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καὶ ἐσμεν ὡς καί τινες τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι· τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμεν. Hemistychium hoc ex Arati Phaenome-

nis sumtum est (10). Sic 1 Cor. XV, 33, verba: *φθείρουσιν ἤθη χρῆσθ' ὁμιλίαι κακαὶ* sententiam comoediographi Menandri continere dicuntur. Nec non illud praeclarum monitum Eph. IV, 25: *ὁ ἥλιος μὴ ἐπιδυέτω ἐπὶ τῷ παροργισμῷ ὑμῶν* sine dubio ex ethnicorum sapientia originem traxit. Plutarchus enim in libro de Amor. fratr. p. 488, B, haec habet: *Πυθαγορικοὶ — εἴποτε προαχθεῖεν εἰς λοιδορίας ὑπ' ὀργῆς, πρὶν ἢ τὸν ἥλιον δῦναι, τὰς δεξιὰς ἐμβάλλοντες ἀλλήλοις καὶ ἀσπασάμενοι διελύοντο.* Cfr. Koppius ad hunc locum.

6. Neque omnino permoveri possum, quicquid etiam post Thalemannum de Paulo non Graece, sed Judaice docto multum asseruerint et adhuc asserant, ut credam, *Paulum literarum Graecarum fuisse expertem*, nec ullam accuratiorem Graecae philosophiae habuisse notitiam, totam ejus theologiam ex Judaicis fontibus haustam, neque in ea excolenda Graecorum philosophorum placitis vim aliquam esse tribuendam.

Quanta arrogantia tumidus fuisset Paulus, si, quamquam literarum Graeciae philosophicarum prorsus ignarus, dixisset: *Φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν*, Rom. I, 22: *ποῦ σοφός, ποῦ γραμματεύς; ποῦ συζητητὴς τοῦ αἰῶνος τούτου; οὐχὶ ἐμώρανεν ὁ θεὸς τὴν σοφίαν τοῦ κόσμου τούτου;* 1 Cor. I, 20; *ἡ σοφία τοῦ κόσμου τούτου μωρία παρὰ τῷ θεῷ ἐστι*, 1 Cor. III, 19; *βλέπετε, μή τις ὑμᾶς*

(10) Verba etiam *ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καὶ ἐσμεν* poëtae Graeci cujusdam anonymi esse dicuntur. Cfr. Pritius edit. Hofm. p. 241.

ἔσται ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης! (11) Col. II, 8.

Quantae arrogantiae accusaremus hominem nostrae aetatis, qui, quamquam idiota et philosophicarum literarum vel prorsus ignarus vel eas tantummodo delibatas habens, nostri temporis philosophos μωροὺς, eorumque doctrinam μωρίαν vel κενὴν ἀπάτην nominare vellet!

Num hoc arrogantiae crimen in apostolum nostrum cadere potest, qui ubique in suis epistolis animi modesti et submissi signa luculenta profert, qui se πρῶτον peccatorum, ad quos servandos Jesus Christus venerit, nominat, 1 Tim. I, 15; qui se ἐλάχιστον τῶν ἀποστόλων, immo ne dignum quidem, qui apostolus dicatur, profitetur, 1 Cor. XV, 9; qui dicit Phil. III, 12: « Οὐχ ὅτι ἤδη ἔλαβον, ἢ ἤδη τετελείωμαι· διώκω δὲ, εἰ καὶ καταλάβω?"

Si ergo arrogantiae suspicio a Paulo alienissima est, statuamus necesse est, eum utpote Tarsi natum et educatum usque ad juvenilem aetatem et post transitum ad Christianos in patria urbe, in qua literae Graecorum philosophicae florebant, diutius aliquando commorantem Graecorum sapientiae notitiam non vulgarem sibi comparasse, nonnulla quidem in ea

(11) Nam valde dubium est, num φιλοσοφία de subtiliore religionis Judaicae scientia seu de theologia Judaica interpretanda sit. Multi putant, in epistola ad Colossenses respici ad doctores, qui vel Pythagoraeorum vel Platonicorum vel Orientalis, quam vocant, philosophiae placita cum Judaica et Christiana doctrina conjunxerint, e. g. Grotius et Eichhornius. Cfr. Bertholdt T. VI, p. 5448 sqq.

probasse et in usus suos convertisse, sed, si summam argumenti spectes, eam jure meritoque improbasse et pro μωρία habuisse. In universum improbavit Graecorum doctrinam, singula approbavit, secutus id, quod aliis praecipit: Πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε, 1 Thess. V, 21.

ADDENDA.

Cum scriptionem meam typis exprimendam jam tradidissem, mihi a rectore scholae provincialis Grimensis meritissimo Weicherto perhumaniter commodatus est *Commentarius* recentissimus *in librum* Senecae *de Providentia* editus a Nauta Batavo Lugduni Batavorum 1828, ex quo nonnulla, quae ad rem meam faciunt, addenda esse videntur.

Hic editor ac commentator libri de Providentia mecum consentit de consilio et tempore, quo scriptus sit. Ita enim in Praefatione p. 12. judicat: « Magna convenientia, quae inter hunc librum et Epistolas Senecae extat, probabile reddit, illum eodem consilio, quo scripsit has, ut amici desiderio satisfaceret, eodem quoque circiter tempore scriptum esse." Porro p. 14. haec habet: « Probabilius videtur, hunc librum ultimis Senecae annis assignare;" et in nota subjecta 23: « Quo magis legebam Epistolam 59 et nonnullas subsequentes, eo magis arridebat opinio, scripsisse Senecam eas aut a libro de Providentia recentem, aut cum ipsi in manibus

esset. Insunt enim iis complura similia, res, imagines, dictiones." Mihi quidem verisimilius esse videtur, libellum de Providentia serius esse scriptum, post vel ante Epistolam 98. Si enim Epistolam hanc cum libro de Providentia comparamus; tantam quoad argumentum, tractandi methodum, imagines, sententias convenientiam deprehendimus, ut credibile fiat, ab hac potissimum epistola recentem Senecam scripsisse librum de Providentia. Cum vero Epistolae Senecae chronologico ordine se invicem exhibeant, quoniam in posterioribus ad priores provocatur; cum porro in Epistola 81 mentio librorum de Beneficiis facta sit; cum denique libri de Beneficiis jam frigescente Neronis erga Senecam gratia, id est tres fere annos ante mortem Senecae compositi sint; (cfr. Ruhkopf Praef. T. IV. p. 11.) verisimillimum est, librum de Providentia extremis vitae annis ab auctore scriptum esse.

Ad Caput II. Nauta haec annotat p. 25: « Si forte libellus hic in eorum manus venerit, quibus sacrae nostrae litterae parum cognitae sint, ob eamque causam parvi aestimentur; animadvertant hi, quantum in magna cum hoc Senecae loco convenientia, vi tamen et gravitate praecellat ille locus Epist. ad Hebr. XII, 5 — 10."

Ad verba Senecae Cap. V: *At iniquum est, bonum virum debilitari aut configi aut alligari.* annotat Nauta p. 61: « Configi, in cruce clavis, ut Lipsius explicat, probante Ruhkopfio." Sed in annotatione prolixiore p. 70. haec habet: « Credo Senecam in tribus hisce vocibus de proelio-

rum fortuna cogitasse, qua facile fiebat, ut boni quoque vel pedem aut manum amitterent. Cum enim Romani supplicio crucis liberos homines rarissime afficerent, haud probabile est, Senecam ejusmodi exemplum attulisse." Sed vix credi potest, inter mala, quae viris bonis accidant, Senecam numerasse vulnera in proeliis accepta, nec, si numerasset, ea istis tribus vocibus designasse. Haeret Nauta in supplicio crucis apud Romanos in liberos homines non usurpari solito. Non absonum est, statuere, Senecae in mente fuisse auctorem religionis nostrae, qui ei profecto non incognitus mansit.

Ad verba Cap. VI. *metuenda contemnere.* Nauta haec notat: « paupertatem, dolorem, mortem contemnere magni profecto est animi. Unde philosophis in hujusmodi constantia memoranda et commendanda solenne verbum *contemnere.* Potuerunt hoc multi veteres sive famae studio, sive patriae amore ducti; quanto magis illud, quod de Christo legimus Hebr. XII, 2. crucem eum tolerasse, contemta ignominia!"

INDEX.

A.

Ἀδελφὸς Paulo 2 Cor. VIII memoratus, 218. ἀδελφὸς Pauli Timotheus, 226 (6).

Aeterna felicitas, *pax*, *requies*, apud Senecam, 174.

Ἀγαπᾷ (ὃν) κύριος, in Ep. ad Hebr., Senecae *quos Deus amat*, *probat*, 47.

Ἄγγελος ἐξ Ἀκαδημίας, Plato, 59 (14). Ἄγγελος Satanae, ibid.

Ἄγκυρα ἀσφαλὴς, spes in Deo posita, 96.

Ἀγῶνα (τὸν προκείμενον) τρέχειν δι' ὑπομονῆς, in Ep. ad Hebr., cum Senecae dicto convenit, 47. 113.

Αἰὼν μέλλων et οἰκουμένη μέλλουσα, *vita futura* in *altero mundo* transigenda, cui contrarium αἰὼν οὗτος, *vita haec nostra*, 61—68.

Αἰῶνες, *secula* de mundo, Stoicum, 51 sq.

Αἰσθητήρια γεγυμνασμένα, 92 sq.

Albinus, Festi successor, 166 sq.

Ἀλλάττεσθαι in loco Ps. CII. Auctori ad Hebr. allati, Stoicum, 60.

Allegorumena in Ep. ad Hebr., 30.

Allusiones ad Stoica dogmata et ritus Judaeorum sacros in Ep. ad Hebr., 130 sqq.
Ananus, Pontifex Judaeorum summus, persecutionem Christianorum concitat, 186.
Angeli λειτουργικὰ πνεύματα Auctori ad Hebr., Stoicum, 57.
Angelus (*Epicuri*), Senecae, 58. 174.
Ἀνταγωνιζόμενοι in Ep. ad Hebr., Senecae *colluctantes*, 48.
Ἀντὶ, *pro quo*, pretium significat, 114 sq.
Antonini philos. dicta cum sacris conferuntur, 55. 73. 87. 122. 126 sq., laud. 75. 76 (20). 88.
Ἀόρατος (ὁ), Deus, 112.
Ἀπάθεια, μετριοπάθεια, ἐμπάθεια, tres diversi affectuum gradus, 85.
Ἀπαράβατος, *mutari nescius*, Stoicis, 98.
Ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, 96.
Ἄπαξ λεγόμενα in Epp. Paulinis, 29. 122. 126.
Ἀπαύγασμα δόξης θεοῦ, *repercussa imago Dei*, Jesus Auctori ad Hebr., 54 sq.
Ἀπερίστατος, 113 (41).
Ἀποκαθίστημι, ἀποκατασταθῆναί τινι, 26 (10). 32. 192 sq.
Apollo, sive Apollonius, Judaeus Alexandrinus, auctor Epistolae ad Hebr. habetur, 21. 208.
Ἀπολύεσθαι, *dimitti*, ἀπολελυμένος, *dimissus*, 32. 194 sqq. 225.
Ἀποσπάσματα αἴθερος vel θεοῦ, *animae rationales*, Stoicis, 53.
Ἀπόστολος dicitur Jesus, in Ep. ad Hebr., 23 (7). 56. 224 (5).
Arati versus Paulo memoratus, 233.

Ἀρχηγὸς, Lucae propria vox, 20 (1). 212. Ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς fidei Christus, 114. 124. 126.
Ἀρχιερεὺς Christus, in Ep. ad Hebr., 78.
Aristarchus, Paulo commemoratus, 209.
Arriani Epictetus cum S. Scriptura confertur, 92. 127. 115.
Augustinus, familiaritatis inter Paulum et Senecam testis, 138. Stoica retulit, 89. 118.
Αὐτὸς (ὁ), *semper idem*, Christus, quo sensu, 80. 123.

B.

Barnabas, Pauli comes, Epistolae ad Hebr. auctor habetur, 21. 208.
Bellum Judaicum, quo anno inceperit, 185.
Βρῶμα, *solidior doctrina*, 29.
Burrhus, praefectus praetorio Romae, tempore captivitatis Paulinae, Senecae amicus, 151. 188.

C. K. X.

Campania terrae motu concussa, 204.
Caro et *sanguis*, sensu biblico, in Seneca, 132. 173.
Catalogus librorum Canonicorum N. T. a Muratorio editus, 178.
Κατάπαυσις, *felicitas aeterna*, 81.
Κατασκευάζειν, verbum Stoicum, 80.
Καθαρισμὸν ποιεῖσθαι τῶν ἁμαρτιῶν, in Ep. ad Hebr., 56.
Καθαροὶ, καθαριζόμενοι, καθαρισμὸς, καθαρότης, in Ep. ad Hebr. Stoici quid referunt, 57.
Κάθαρσις initium, τελειότης consummatio sapientiae, Stoicis, 57.

Χαρακτὴρ ὑποστάσεως, idem quod ἀπαύγασμα τῆς δόξης θεοῦ, 54.
Χωρὶς θεοῦ, *excepto Deo*, ad Hebr. II. 9. praefertur lectioni χάριτι θεοῦ, 69 sq.
Christi munus expiatorium in coelis continuatum, 80. Sublimior natura in Epp. Paulinis notata, 56.
Christiani Romani, 164. 197 sq. 228 sq.
Christiani Palaestinenses, 181 sq. Eorum persecutio, 186. Eorum erga Paulum Ap. animus, 31. 223 sq.
Citandi formulae, Paulo non usitatae, in Ep. ad Hebr., 23 (7).
Clemens Romanus auctor Epistolae ad Hebr. habetur, 20. 200. 209 sq. Ejus Ep. prior ad Corinth. hujusque cum Ep. ad Hebr. convenientia, 198 *sqq.* explic. 227.
Coelum, Stoicis πόλις, s. civitas, 110. 119.
Cohel. III, 15. explic. 55.
Κοινωνία, τὸ κοινωνικὸν, Stoica, 126.
Κοινωνὸς, συγκοινωνὸς, κοινωνεῖν, 78.
Concilii Hipponensis de Ep. ad Hebr. canon, 25.
Contemnere solenne philosophis verbum, 237.
Κρίσις, *judicium*, latiori sensu, 104.
Custodia militaris Romae, 152.

D. Δ.

Δεσμοὶ et δέσμιοι permutantur, 191.
Deus omnia, Stoicis, 73. ἡ κατασκευάσασα (mundum) δύναμις, 80. πῦρ καταναλίσκον, Auctori ad Hebr., 63. 121.
Deus, vel *Spiritus Dei*, Stoicis fatum, 102.

Δημιουργὸς, Deus mundi conditor, Stoicis, 111.
Διὰ, *propter quod*; 94. idem ac κατὰ, 101 sq.
Dictum vetus: *Non te deseram, nec te derelinquam*, Auctori ad Hebr. laudatum, 123.
Dies decretorius mors, Stoicis, 104.
Diogenes Laërt. Stoica refert, 89. 91. tentatur, 113 (41).
Dionysius. Vid. Pantaenus.
Δυνάμεις μέλλοντος αἰῶνος γεύσασθαι, ad Hebr. VI, 5. explicatur, 64.
Δύναμιν (κατὰ) ζωῆς ἀκαταλύτου, et κατὰ νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς, opposita, 97.

E. H.

Ecclesiae Palaestinenses ab Apostolis regebantur, 126
Εἶρηκε. Vid. Λέγει.
Ἔκβασις in Ep. ad Hebr. de *morte*, Senecae *exitus*, 49. ἔκβασις τῆς ἀναστροφῆς, exitus vitae, 123.
Ἐκλύεσθαι (μὴ), in Ep. ad Hebr., Senecae *in statu manere*, *rectum stare*, 47.
Ἐμπάθεια. Vid. Ἀπάθεια.
Ἐντυγχάνειν de Christo, Auctori ad Hebr., 30.
Epaphras, Paulo commemoratus, 209.
Epaphroditus, Paulo memoratus, 210.
Ἐπὶ τὸ συμφέρον, 47.
Epictetus, 108. Vid. porro Arrianus.
Epigramma ad Crispum, 96.
Ἐπίσκοποι. Vid. Πρεσβύτεροι.
Ἐπιστέλλειν, *scribere epistolam*, 20 (1). 212.
Epistola ad Alexandrinos Paulo supposita, 178 sq.
Epistolae ad Hebraeos cum Seneca et Stoicis convenientia minus adhuc interpretibus animadversa, 1.

Paulinam originem, e conjunctione et familiaritate quadam auctoris cum Stoicis, et nominatim cum Seneca, asserendi novum tentamen, 3. Historia literaria, et argumentorum contra Paulinam ejus originem ac pro ea, in utramque partem, expositio, 20—34.

Epistolae ad Hebr. cum Senecae scriptis, maxime Ep. ad Lucilium de Providentia, convenientia, in argumento, 37. in tractandi methodo, 39 sqq. in sententiis, 44 sqq. in verbis, 46 sqq. in dogmatum et decretorum Stoicorum, interdum adeo iisdem verbis, significatione, 48 sqq, 130 sqq. nexum auctoris cum Stoicis et Seneca diserte arguit, 133 sqq. Tempus, quo scripta sit, 176 sq. 184—190. Homines, ad quos scripta sit, 177. Locus, unde scripta sit, 190—201. Indoles alia, ac caeterarum Epp. Paulinarum, 215. Nihil habet a Pauli ingenio et temporibus alienum, 229 sq. Nexus auctoris cum philosopho Stoico, auctoritate Pauli Apostolica nequaquam indignus, 230 sq. Sententia de Alexandrina, quae dicitur, ejus origine examinatur, 4. 30. 83. 91. 97. 97. 135. et passim alibi. Nexus cum posteriore Petri Epist., 68 (17).

Epistolae ad Hebr. complura deinceps loca ex Stoicorum decretis et verbis explicantur, 50—127. Convenientia cum aliis, praeter Senecam, scriptoribus Stoicis, 129.

Epistolae ad Hebr. tractantur varia loca:

«	«	I, 1,	p. 28. 214.
«	«	VI, 5.	« 64.
«	«	X. 5.	« 101.
«	«	X, 34.	« 52. 191.

Ep. ad Hebr. XII, 4. p. 182.
« « « XII, 27. « 63.
« « « XII, 28. « 90.
« « « XIII, 8. « 80.
« « « XIII, 18, 19. p. 27 (10). 192. 193 sqq. 212. 224.
« « « XIII, 23. « 225.
Epistolae XIV. Pauli et Senecae mutuae, fictitiae quidem, sed non prorsus spernendae, 139 — 150.
Ἔπος, ὡς ἔπος εἰπεῖν, 97.
Ἔρχεσθαι, *redire*, 194.
Εὐαρεστεῖν, vox Stoica, 127.
Εὐαρέστως θεῷ λατρεύειν, 121. 127.
Εὐλαβεία sensu Stoico, et εἰφαιρουσθείς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, 89 sq.
Εὐπερίστατος ἁμαρτία, 112 sq.
Εὐποιΐα, ἅπαξ λεγόμενον, 126.
Ἐξ ἑνὸς πάντες, ad Hebr. II, 11. Stoici quid sapit, 73.
Ἐξέρχεσθαι, verbum Stoicum, 131 (2).
Ἕξις in scholis Stoicorum, 92 sq.
Ἡγούμενοι, *doctores evangelii*, 20 (1). 124. 125 sq. 212. 226 sq.
Ἡμεῖς *communicative* explicandum, 28. oppos. τοῖς πατράσι, 214.

F.

Felicitas aeterna, ap. Senecam, 174.
Fortunatus, a Paulo commemoratus, 199.

G. Γ.

Gallio, in Actis Apost. memoratus, Senecae frater, 158 sq. 163.
Γάμος (ὁ), *matrimonium, conjugium*, 121.
גַּן עֵדֶן, *vita altera*, Judaeis, 65.
Gellertus Senecam imitatus, 45 (3).
Γεύσασθαι, improprie, 68.
Gladius de verbo Dei, 29.
עוֹלָם הַבָּא Rabbinicum in Talmude, *vita altera*, 61. 64. 65 sq.
Γόνατα παραλελυμένα ἀνορθοῦν in Ep. ad Hebr., Senecae *nulli malo cedere, de genu pugnare*, 47.
Γυμνάζειν, γεγυμνασμένοι, in Ep. ad Hebr. Senecae *exercere, exercitare, exercitatio*, 47.

H.

Hebraei, i. e. Christiani Palaestinenses, indigenae, 180 sq.
Hellenistae, 180.
Hieronymi judicium de Ep. ad Hebr., 22. 25. locus de Origene, 52 (8). de Seneca, 138.

I.

Ἰδιώτης τῷ λόγῳ Paulus Ap. quo sensu, 29. 161.
Ignis, πῦρ τεχνικὸς, πνεῦμα πυροειδὲς, Stoicis prima motrix omnium rerum causa, 53.

Incendium Romae Neronianum, Christianis adscriptum, 189, 228 sq.
Ἰταλία, οἱ ἀπὸ τῆς Ἰταλίας, Christiani Romani, 197 sq. 228 sq.

J.

Jacobi Epist. I, 17. explic. 117.
Jesus, exemplum sapientiae et virtutis, cum Stoicorum sapiente comparatur, 86—89.
Johannis Evang. VIII, 47. explicatur, 48.
Judaei ἀπὸ τῆς Ἀσίας Act. XXI, 21, 22. qui fuerint, 24 (8). Judaeorum Sacra et Synagogae Romae, 151 sq.
Juvenalis de Judaeis loca, 155.

L. Λ.

Λέγει, μαρτυρεῖ τὸ πνεῦμα, vel ὁ θεὸς, vel et sine subjecto λέγει, εἴρηκε, 23 (7).
Lessii judicium de convenientia Ep. ad Hebr. cum Seneca de Provid., 49.
Linus, Paulo memoratus, 210.
Linus, Episcopus Romanus, 138.
Λόγος δημιουργὸς, *factitator mundi*, 55. Λόγος (ὁ) τοῦ θεοῦ, comparatur cum Stoicorum λόγῳ, s. *divina ratione*, 82 sqq. Λόγος παρακλήσεως dici potest Ep. ad Hebr., 38.
Longinus Paulum Ap. Oratoribus Graecis annumerat, 29 (11). 159. 163.
Lucani de anima Pompeji locus, 119. de Judaeorum sacris, 155.
Lucas, Evangelista, Pauli captivi comes, Epistolae ad

Hebr. auctor haberi nequit, 20. 210—215. Voces Lucae peculiares in Ep. ad Hebr., 20 (1). 212.
Lucas Evang. variis Actorum locis tractatur: II, 24. p. 98. VII, 1. p. 180. XV, 30. p. 194. XVII. passim, p 211. XVIII, 24. p. 208. XXI, 21, 22. p. 24 (8).
Lutheri de Ep. ad Hebr. opinio, 26. 54.

M.

Maccabaeorum Lib. II. Cap. VII, 28 notatur, 109.
Marcus, Pauli et Petri comes Romae, 209. Ejus Evang. XV, 16. explic. 153.
Μαρτυρεῖ τὸ πνεῦμα. Vid. Λέγει.
Martialis Judaeis infestus, 155 (3).
Matthaei Evang. explicantur loca VI, 31. p. 206; XIX, 9. p. 194.
Maximus Tyrius explicatur, 51.
Menandri Comici sententia Paulo commemorata, 233.
Μεταλαβεῖν τῆς ἁγιότητος αὐτοῦ in Ep. ad Hebr. cum Senecae dictis convenit, 47.
Μέτοχος, μετέχειν, κλήσεως ἐπουρανίου μέτοχοι, 78.
Μετριοπαθεῖν, 85 sq.
Mortis metus, a Christo sublatus, comparatur cum Stoicorum placito de mortis metu miserrima servitute, 74—77.
Morus (S. F. N.) de Ep. ad Hebr. auctore dubius, 26 (10).
Mundus *ex nihilo* creatus, secundum Auctorem ad Hebr., non *ex materia*, secundum Stoicos, 109 sq.

N.

Nauta, Batavus, Senecae de Provid. editor, 235 sq.
Νεότης, *aetas juvenilis*, 135 (3).
Neronis imperii tempus, 187. 188 sq.
Neutrum singulare adjectivorum substantive sumitur cum et sine articulo, 72.
Νήπιοι, tirones in Relig. Christ., 29.
Νόθοι, in Ep. ad Hebr. *servi*, *vernulae*, 48. 115.
Νόμος ἐντολῆς σαρκικῆς. Vid. Δύναμις.

O. Ω.

Ὄγκος in Ep. ad Hebr., Senecae *sarcinae*, *onus*, 48. 112.
Οἰκίας (οἱ ἐκ τῆς καίσαρος), Christiani Romae, 164.
Οἰκουμένη μέλλουσα, in Ep. ad Hebr., 23 (7). Vid. porro Αἰὼν μέλλων.
Ὁμολογία, *confessio*, in Ep. ad Hebr., 78 sq.
Ὀνειδισμὸς Χριστοῦ, 112.
Ὅπως, pro ὥστε, 71.
Origenes, quamquam dubius, tamen Paulum Epistolae ad Hebr. auctorem nominat, 24.
Ovidius Judaeorum Synagogas describit, 154.
Ὠδῖνες τοῦ θανάτου, 98.

P. Π. Φ.

Παιδεύειν in Ep. ad Hebr., Senecae *educare*, 47.
Πᾶν (τὸ) Stoicorum, 75. Ἐν πᾶσι, *omni ex parte*, 122.

Ὑπὲρ παντὸς, ad Hebr. II, 9. non *pro omnibus*, 48. sed *pro omni*, 71 sq.

Pantaenus et Dionysius primi testes pro Paulo Epistolae ad Hebr. auctore, 24.

Παρασκευὴ, natura cuivis a Deo indita, Stoicis, 80.

Parens noster, *magnificus ille parens*, Deus Senecae, 47. 118. 174.

Paronomasia, ἔπαθε — ἔμαθε, et sim., 91.

Πάρόντα. ἀρκεῖσθαι τοῖς παροῦσι, Stoicum, 122.

Πατὴρ τῶν πνευμάτων, Deus *pater coelestis*, opposite ad τῆς σαρκὸς ἡμῶν πατέρας, Auctori ad Hebr., Senecae *magnificus ille parens*, 47. 115—118.

Πατὴρ τῶν φώτων, Jacobo Ap. Deus, 117.

Patres Ecclesiastici de auctore Epistolae ad Hebr. dubii ob styli diversitatem, 53.

Patriarchae peregrini in terra, 111.

Paulus Apost. nomen suum Epistolis suis praemittere solet, 22. Cur non item Epistolae ad Hebr., 27. Negat se ab ullo homine evangelium accepisse, 22. Stoicae philosophiae cognoscendae occasionem habuit, 134 sq. Tarsi natus, 134. Patriam urbem quo anno reliquerit, et Hierosolymam venerit, 135 sq. Senecae scripta legere potuit, 137. Traditio de Pauli familiaritate cum Seneca, non fortuita, 138 sqq. probabilis, 150 sqq. Post incendium Romae Neronianum, Romae fuit, 140. An Senecae cognitus, antequam Romam veniret, 158. 163. Eloquentia, 29. 161 sq. Per biennium Romae captivus fuit, 165 sq. Captivitas altera, 163 (12). Ejus captivitatis tempus, 187—190. Senecae commemoratur, 205(21). Ejus Oratio in Areopago a Luca relata, 211 sq.

Scribendi ratio cultior in nonnullis Epp., 215. Stoicae philosophiae studiosus, 217 sq. Philonis scripta legere potuit, 219 sq. An Judaeis et Christianis Palaestinensibus invisus fuerit, 222 sq. Ea tantum a Seneca mutuatus, quae Religioni Christianae essent accommodata, 231. Subinde e Scriptoribus ethnicis hausit, 232 sq. Literarum Graecarum expers non fuit, 233 sq.

Pauli Apost. Epp. variis locis tractantur:

Ad Rom. I, 19, 20. p. 53. XI, 36. « 73.
1 ad Cor. VII, 29, 30. « 206. XV, 27. « 72.
2 ad Cor. VIII, 18, 19. « 213. XI, 6. « 161.
Ad Ephes. IV, 25. « 233.
Ad Coloss. II, 8. « 234.
Ad Philipp. III, 5. « 180.
1 ad Tim. I, 17. « 53. IV, 14. « 183.
Ad Tit. I, 15. « 206.

Περισσοτέρως, *perquam vehementer*, intensive, 193.

Petrus Apost. auctor Epistolae ad Hebr. habetur, 21. 209.

Φαινομένων (μὴ ἐκ), *ex nihilo*, 109.

Pharisaei in multis cum Stoicis consenserunt, 218.

Philo Judaeus Stoicos secutus, 54. 84. 86. 88. laudatur, 82. 83. 96. 123. Christi ejusque doctrinae nullam fecit mentionem, 173.

Philoniana in Ep. ad Hebr., 219.

Φιλοσοφία in loco Ep. ad Coloss., 234 (11).

Φῶτα, *sidera*, 117.

Φωτίζειν, φωτισμὸς, de baptismo, 95.

Φωτισθέντες, salutari doctrina evangelii imbuti, 95.

Πίστις. Ejus notio in Ep. ad Hebr., 30 sq. 108 (36).

Plinii in Hist. Nat. de Judaeis locus, 156.

Plutarchus Judaeorum superstitionem notat, 155 (5).
Πνεῦμα αἰώνιον, 25 (7). Διὰ πνεύματος αἰωνίου, ex decreto divino per Spiritum S. patefacto, 43. 99—104.
Πόλις μέλλουσα, 62. ἡ τοὺς θεμελίους ἔχουσα, 110.
Πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, revelationis materiam et formam designat, 50.
Praetorium Romae, in quo Paulus causam dixit, fuit aula Caesaris, 153.
Πραιτώριον in N. T., 153.
Πρεσβυτέριον, 183.
Πρεσβύτεροι et ἐπίσκοποι, antistites coetus Christianorum, 226.
Pritii et ad eum Hofmanni de Ep. ad Hebr. auctore judicium, 54.
Προεστῶτες, antistites, 226.
Προϊστάμενοι, antistites, 226.
Psalmi VIII locus, ad Hebr. II. 6 laudatus, cum Senecae loco comparatur, 68 sq. Psalm. XL de Christo explicatur in Ep. ad Hebr., 101. Psalm. CII locus auctori ad Hebr. citatus, 59 sq.
Πύλην pro πόλις, 181.
Purgatio et *perfectio* philosophiae finis Stoicis 57.

R. Ῥ.

Ῥῆμα θεοῦ, 109.
Romae incendium. Vid. Incendium.

S.

Sanguis. Vid. *Caro.*
Sapientiae liber VII, 26 notatur, 54.
Σεβόμενοι, σεβόμεναι, *metuentes*, Romae, 157 (4).

Seneca sibi dissimilis, 107. Voces et sententias biblicas habet, 131 sq. 173—176. Neronis juvenis moderator, 131. 188. An Judaeis infestus fuerit, 137 sq. An Paulum colloquio et familiaritate dignatus existimari possit, 165 sqq. De rebus Christianorum cur nullam fecerit mentionem, 168 sq. Libri ejus deperditi, 122. 171 sq. Ejus scripta quo tempore exarata, 201 sqq. Stoicus fati et autochiriae defensor, 252. Christiana quaedam in nonnullis libris assumsit, 252. Epistolae ejus chronologico ordine positae, 236.

Senecae de Providentia libri argumentum, 38 sq. tractandi ratio, exemplis, 40. dictis veterum, 42. institutis Romanae civitatis ac religionis, 42. causis malorum et calamitatum afferendis, 43. sententiae, 44. verba et dicta cum Ep. ad Hebr. conveniunt, 47 sq. 151 sq. 207. Tempus, quo scriptus sit, 203 sq. Epistola potius, quam tractatio, 38 (1). 205. Ejus libri consilium et tempus, 235 sq.

Senecae libri laudantur, explicantur, cet.

De Provid. 47 (4). 77. 96. 98. 102. 103. 107. 110. 113 sq. 115. 118. 231 sq.

Epp. 53. 54. 56 (11). 57. 58. 60. 73. 75 sq. 79. 88 (26). 91. 96. 105. 108. 110. 111. 113. 114. 115. 121. 122. 124 sq. 126. 157. 166 sq. 172. 174 sq. 202. 203. 205. 211.

Consol. ad Marc. 52. 55. 81. 119. 173 sq.

Consol. ad Helv. 103.

Nat. Quaest. 63. 76. 110. 112. 159.

De Benef. 69. 83. 103. 126. 166 sq. 174. 211.

De Clement. 86. 87.

De Vita beat. 93 sq. 113. 174.
De Tranq. An. 152 (2).
Fragm. apud Augustin. 157. ap. Lactant. 211.
Senex venerabilis, Senecae memoratus, 205 (21).
Sextus Empiricus, laud. 50. 72.
Silvanus, vel Silas, Pauli comes, auctor Epistolae ad Hebr. habetur, 21, 208.
Spiritus Deus dicitur Stoicis, 47 (4).
Spiritus generosi contra loquendi consuetudinem Latinorum, 47 (4). *Sp. Sacer* Senecae, 174.
Stoicorum opiniones ac placita: de pluribus sibi invicem successuris mundis, 52. Animas rationales esse particulas animae mundi vel dei, 53 sq. Κάθαρσις et τελειότης, 57. Daemonologia, 58. Dogma *de* combustione hujus mundi et renascentia in melius, 62 sq. Τὸ πᾶν, 73. Mors, miserrima servitus, 75 sq. Ὁμολογία, 79, Vitae aeternae descriptio, 81. Λόγος, divina ratio, 83 sq. Ἀπάθεια et ἀναρξία, 85. Sapiens, 86—88. Εὐκάθεια, 89. Materiae divisio, 91. Jusjurandum, 95 sq. Εἱμαρμένη, fatum, 102. 218. Dies mortis, decreterius, 105. Mundi ex *materia* creatio, 110. Coelum civitatem esse, et patriam, 113 sq. Praesentibus contentos esse oportere, 122. Semper sibi constare, 79 sq. 123 sq. Nova et inusitata vocabula, 131.
Στοιχεῖα, elementa doctrinae Christi, 29. στοιχεῖα et ἀρχή, Stoicis usitata, 91.
Styli diversitas Epistolae ad Hebr. et caeterarum Paulinarum, 22.
Strabonis de Mose testimonium, 156.
Subscriptiones Epistolarum N. T., 191.

Συγγενεῖς, *cognati*, Pauli Romae, 225 (4).
Συγκοινωνός. Vid. Κοινωνός.
Suetonius, explic., 153.
Συμπαθεῖν τοῖς δεσμοῖς alicujus, 191.
Συμφέρον (ἐπὶ τὸ), 47.

T.

Taciti de Judaeis testimonium, 156.
Tarsus, urbs literarum et philosophiae cultrix, 154.
Τέλειοι, τετελειωμένοι, τελειότης, cet. in Ep. ad Hebr. Stoici quid referunt, 57. τετελειωμένοι δίκαιοι, 121.
Templi Hierosolymitani in Ep. ad Hebr. descriptio, 221.
Theologumena Epistolae ad Hebr., in ceteris Paulinis desiderata, 23. 30.
Timotheus memoratur in Ep. ad Hebr. 32. 210. Christianis Palaestinensibus carus, 182 sq. Pauli Romae captivi comes, 196. ab ipso alio dimissus, ibid. et 225.
Titus, Paulo memoratus, 210.
Τροφὴ (στερεὰ), solidior doctrina, 29. 92.
Tychicus, Paulo memoratus, 210.

Υ.

Υἱοὶ et δοῦλοι, opponuntur, 48.
Ὑπαρξις κρειττων καὶ μένουσα in Ep. ad Hebr., Senecae *bona certa*, *mansura*, *meliora*, 49.
Ὑπὲρ cum Genit. significat *rem consequendam*, 71.
Ὑποτάσσειν et ὑποτάσσεσθαι, 29. Ὑποτάττεσθαι, de obsequio Deo praestando, 118.

V.

Virgilius, Stoicorum dogma expressit, 47 (4).

W.

Wetstenius ad N. T. notatur, 46.

Ξ.

Ξένοι καὶ παρεπίδημοι ἐπὶ τῆς γῆς Patriarchae, 111.

Z.

Ζωὴ αἰώνιος et ἀκατάλυτος, 97.

CORRIGENDA

Pag.	11.	v. 15.	*spirituum* ex	lege *spirituum*, ex
»	22.	» 25.	philonianas	» Philon.
»	25.	» 2.	sancitam	» sancitum
»	52.	» 8.	certo	» certe
»	61.	» 5.	suppeditat, plura	» suppeditat plura
»	62.	» 22.	*πολυν*	» *πόλιν*
»	73.	» 27.	*ἐνὸς*	» *ἑνὸς*
»	87.	» 26.	sapiente	» sapienté
»	88.	» 5.	*προσένεγκας*	» *προσενέγκας*
»	89.	» 28.	*ἀγνειαν*	» *ἁγνειαν*
»	90.	» 27.	*Εὐφαίσους*	» *Εὐαφίσους*

» 99 seqq. Ad ea, quae de dictione *διὰ πνεύματος αἰωνίου* disputat Vener. hujus libri Auctor, conferri in primis meretur Viri Doctiss. A. L. van der Boon Mesch *Specimen hermeneuticum inaug. in locum ad Hebr.* IX. 14. *Lugd. Bat.* 1819.

»	105.	v. 20.	tu escimus	lege turescimus.
»	106.	» 14.	affavit	» afflavit

» 108. Ad annot. (36), de significatione *πίστεως* in Ep. ad Hebr. operae pretium sit adhibere Viri Doctiss. P. J. L. Huët *Specimen Acad. inaug. De antiquissimorum Dei cultorum, qui in Epistolae ad Hebraeos Capite* XI. *memorantur, fide diversa eademque una. Lugd. Bat.* 1824. praesertim Parte Alt. pag. 22 — 33.

»	112	v. 2.	properans.	lege properans.”
	Ibid.		Not. (39)	» (40)
»	113		Not. (40)	» (41)
»	130	v. 6.	Sic	» Si
»	161	» 23.	dexteritatis in dicendo fuerit	» d. i. d. expers f.
»	181	» 12.	*ζηλῶται*	» *ζηλωταὶ*
»	186	» 26.	annum 69	» annum 66
»	193	» 28.	3. Timotheus	» 4. Timoth.
»	211	» 10.	vs. 25	» vs. 24
»	223	» 6.	rum	» morum
»	232	» 26.	cencedendum	» conced.



3 2044 052 831 203